


# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXVIII (Fasc. I) — N. 161  
M. MARTIO A. MCMLVIII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.

in reliquis civitatibus, 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA**

vel ad **PROCURATORES** singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

---

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXVIII (Fasc. I) N. 161

M. MARTIO A. MCMLVIII

M. MOLINA, <i>Quid causae fuit cur J. Caesar trucidaretur.</i> . . . . .	253
F. SÁNCHEZ VALLEJO, <i>Cicero post viginti saecula redivivus</i> . . . . .	196
AE. ORTH, <i>De Platone</i> . . . . .	275
J. MORABITO, <i>Ex carminibus H. Foscolo.</i> . . . . .	207
V. Ad Dominam	
VI. Desiderium Dominae	
VII. Sua ipsius imago	
VIII. Ad Florentiam	
IX. Ad Zacynthum	
X. In funere Johannis fratris	
XI. Ad Musam	
XII. Saeculo exeunte	
EU. J. MARTIN, <i>Angelico Doctori</i> . . . . .	283
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: In campo athleticae</i> . . . . .	284
<i>Amici et socii epistulas dant</i> . . . . .	289
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i> . . . . .	294
J. SIDERA, <i>Collectanea</i> . . . . .	299
BIBLIOGRAPHIA, I. González, Philoponus, Sidera . . . . .	302
PALAESTRA ADULESCENTIUM . . . . .	313

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

---

ANN. XXVIII (FASC. I) — N. 161

M. MARTIO

A. MCMLVIII

---

## Quid causae fuit cur Julius Caesar trucidaretur

Plutarchus fusius describit in *Vita Caesaris*<sup>1</sup> extrema Dictatoris momenta infandis illis Idibus Martiis a. 44 cum eum armata conjuratorum manus vulneribus confectum ad pedes statuae Pompeji reliquit.

Qua re interfectus est Caesar? Quod se tyrannum praebuisset? Quod sibi vindicavisset honores divinos? Quod sese regem facere voluisset?

Quamplurima habemus testimonia ut Caesarem cogitemus in primis interfectum esse a quibusdam animo deceptis optimatibus qui, cum in imperio Dictatoris ruinam rei publicae viderent, falso credidissent caedem, ad eam instaurandam, unam tantummodo viam esse.

Injuria quis asseveret Caesarem imperio potitum esse libidine tantum dominandi, non nobili illo rerum novarum studio quod jamdiu in mente affectavisset. Tamen ejus novarum rerum consilia, qua erant magnitudine, vetustissimae illius et angustae rei publicae institutiones capere non poterant. Res publica enim Caesari verbum omnino obsoletum erat, senatus quoque arx munitissima ad quam confugiebant optimates ut impune munera publica caperent et retinerent in perniciem populi qui, otio et egestate sopitus, duntaxat ad tumultus publicos promptus erat.

Caesari arduum munus erat veterem rei publicae disciplinam demolienti, in quo opere obsistere necessario debebat haud parvo numero optimatum, quos exiguis suis opinionibus excaecatos, quamquam summa liberalitate et indulgentia cum illis usus erat, Dictator sibi adsciscere et devincire non potuerat.

Oportet igitur considerare quae fuerit Caesari ratio et ars rei publicae gerendae quod ad praecipuas Romanorum institutiones spectat comitia, nem-

---

1. PLUT. *Caes.* 64.66.

pe, senatum, magistratus, provincias; quo modo aggressus sit quaestiones de agris dividendis, de legibus sumptuariis, de opinionis publicae censura, de tribunalibus, de exercitu ceterisque rebus quarum ex immutatione quam plurimi optimates veteribus rei publicae disciplinis nimium faventes, adeo exiguos fructus sub Caesare percepturi erant, quo modo tandem ii optimates Caesari obstiterint eumque e medio caede sustulerint ut imperium singulare perderent et in antiquum statum rem publicam restituerent.

## DE COMITIIS

Haec in primis maxima apud Romanos institutio popularis tandem imperio Caesaris se subiecit; nam cum ab expeditionibus in Orientem rediisset, comitia praecipua potestatis tribuniciae jura ei in perpetuum tribuerunt<sup>2</sup>; tantum ei deerat ad omnino tribunatum habendum sacra illa inviolabilitas qua deinde a. 44 est insignitus<sup>3</sup>.

## DE SENATU

Acerrimum et inexorabilem inimicum senatum Caesar funditus immutavit, assectatores suos supra numerum solitum in senatum recipiendo senatumque juribus exspoliando.

## DE SENATUS TEMPORE CAESARIANO COMPOSITIONE

E provinciis senatores creavit, quorum alii Hispani, ut Titius<sup>4</sup>, Decidius Saxa<sup>5</sup>, Cornelius Balbus Junior<sup>6</sup> erant; alii Galli adeo Romae recentes ut vix curiae viam cognoscerent<sup>7</sup> vel summo labore latine loquerentur, nam ut ait Suetonius, «quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam»<sup>8</sup>; senatores etiam cooptavit centuriones immo et milites virtutibus et meritis militaribus tantummodo nobiles<sup>9</sup>, libertos ut quendam Ventidium Bassum<sup>10</sup>, vel quendam olim mulionem cui consulatus a. 43 obvenit. «Quosdam etiam infimi generis ad amplissimos ordines provexit»<sup>11</sup>. Senatus, qui Sullae temporibus 600 senatoribus constabat, ad 900 a. 44 a Caesare auctus est<sup>12</sup>. Genus ergo optimatum in tanta hominum varietate deminutum videbatur; idcirco non sunt miranda convicia quibus ipse Cicero hujus magni tumidique corporis auctoritatem labefactabat, cujus participem fieri, quam consilii municipalis Pompejorum, facilius erat<sup>13</sup>.

2. DIO CASS. 42, 20, 3.

3. DIO CASS. 44, 4, 2.

4. *Bell. Afric.* 28, 2.

5. *Cic. Phil.* 2, 5, 12.

6. *Cic. Ad fam.* 10, 32, 1.

7. *SUET. Caes.* 80.

8. *SUET. Caes.* 76, 3.

9. DIO CASS. 42, 51, 4-5; 43, 47, 2.

10. *AUL. GELL. N. A.* 15, 4; *PLIN. N. H.* 7, 135.

11. *SUET. Caes.* 72.

12. DIO CASS. 43, 47, 2.

## DE FACULTATUM IMMINUTIONE

Quod ad rem nummariam attinet, aerarium publicum exspoliavit ineunte bello civili, jus intercedendi tribunū Q. Metelli praeteriens<sup>14</sup>. Ex quo tempore ipse usque ad mortem aerarii claves secum asservavit; a. 49 templum Jovis Capitolini exspoliavit<sup>15</sup>, a. 46 thesaurum custodiendum duobus suis praefectis concredidit<sup>16</sup> et quamquam quaestores restituerat, «publicis vectigalibus peculiares servos praeposuit»<sup>17</sup>; a senatu curam monetalem abstulit et a. 45 sibi jus vindicavit designandi tres viros monetales, quibus propria sponte alium adjunxit, peculiares tantum servos ad custodiam praeponi iubens<sup>18</sup>.

De senatus imminutione in regenda re publica nonnihil dicendum. Bellis in Oriente confectis a senatu accepit potestatem distribuendi sua voluntate, non sortitis, provincias praetorianas<sup>19</sup>. Caesar suo arbitrio provincias assignabat consulibus et praetoribus qui muneribus jam perfuncti erant<sup>20</sup>, immo sibi ipse reservabat per legatos qui ejus vices gererent, ut Curio in Africa et Calvinus in Asia. Ceterum senatus se juribus exspoliari facile passus est cum ante bellum Africanum cum plebe convenit ut facultas Caesari tribueretur de pace et bello decernendi<sup>21</sup>.

Si jus instituendi leges perpendimus, aperte constat cum comitia tum senatum sua vi et potestate destituta esse cum cogentur non libere sententias dicere sed accipere sine ulla condicione probandas leges quas Caesar a primo ad postremum verbum in tablino conscripsisset quin nemo litteram unam de eis surripere auderet. Et ipse Cicero jocose scribit in Armeniam missa esse decreta quae sese obsignavisse crederet quorumque ne primum quidem verbum cognosceret<sup>22</sup>.

## DE MAGISTRATIBUS

Consilium Dictatoris erat non extemplo sed paulatim debilitandi atque labefactandi veterum magistratum potestatem amplissimo honore et opinione cumulatam.

Si consulatum dicimus, Caesar qui hoc munus a comitiis centuriatis a. 47 in quinque annos<sup>23</sup> et a. 45 in decem annos acceperat<sup>24</sup>, callide excogitabat quo modo alicrum consulatus tempus contraheret in ternos novissimos anni

13. MACROB. *Sat.* 2, 3, 10.

14. PLIN. *N. H.* 33, 17; Plut. *Caes.* 35.

15. DIO CASS. 41, 39, 1.

16. DIO CASS. 43, 48, 1.

17. SUET. *Caes.* 76, 3.

18. SUET. *Caes.* 76, 3.

19. DIO CASS. 42, 20, 3.

20. DIO CASS. 43, 47, 1.

21. DIO CASS. 42, 20, 1.

22. CIC. *Ad fam.* 9, 15, 4.

23. DIO CASS. 42, 20, 3.

24. DIO CASS. 43, 45, 2.

menses<sup>25</sup>, vel in perridiculum unius diei et non solidi spatium ut C. Caninio Rebilo contigit suffecto in locum Q. Fabii Maximi qui matutino tempore postremo die mense decembri a. 45 obierat, ut ita herae finientis anni omnino adimplerentur. Cicero jocatur scribens neminem, eo consule, jentaculum sumpsisse tantamque in consule fuisse vigilantiam ut totum consulatum oculos non clauserit<sup>26</sup>.

Haec veneranda institutio his in angustiis adducta erat ut quamplurimi optimates antiquarum disciplinarum religiosissimi cultores non possent non aegro animo ferre.

Nonnihil de ceteris magistratibus, praetoribus, aedilibus, quaestoribus: Anno 47 pro octo praetoribus decem in annum 46 creavit<sup>27</sup>; a. 45 in sedecim numerum ampliavit; e quattuor ad sex aediles, e viginti ad quadraginta quaestores auxit<sup>28</sup>. Itaque Caesar, numerum magistratuum adaugens, plures assectatores muneribus remunerari poterat sibi obsequentissimum reddebat senatum, sed potissimum optimatum animos irritabat.

## DE PROVINCIIS

Cum de senatu egimus, Caesarem induximus sibi jus vindicantem nominandi per se ipsum viros sibi plane fidos sibi que tantum in reddenda ratione obnoxios qui provinciarum res administrarent. Quo Dictator vitabat ne a consularibus provinciae diriperentur, ut temporibus illis corruptissimus mos invaluerat. Si proconsularis regiminis tempus producere concedebat, hanc tamen facultatem renovandi licentiam minime umquam dabat<sup>29</sup>.

## DE AGRIS DIVIDENDIS

«Campum Stellatem majoribus consecratum, Suetonio teste<sup>30</sup>, agrumque Campanum ad subsidia rei publicae vectigalem relictum divisit extra sortem ad viginti milibus civium, quibus terni pluresve liberi essent». Quare de latissimis fundis potentiam nobilitatis deturbavit, uberes familias honestavit, colonis arva complevit<sup>31</sup>. Item Vejis, Volaterris, Casilini, veteranis agros assignavit<sup>32</sup>, «octoginta autem civium milibus in transmarinas colonias distributis»<sup>33</sup>. Cupiditates hominum pecuniosorum ita Caesar cohibuit atque repressit otiosisque civibus Urbem agrorum divisione exoneravit.

25. SUET. *Caes.* 76, 2.

26. CIC. *Ad. fam.* 7, 30, 1.

27. DIO CASS. 4, 51, 3.

28. SUET. *Caes.* 41, 1.

29. DIO CASS. 44, 25, 3; CIC. *Phil.* 1, 8, 19; 5, 3, 7; 8, 9, 28.

30. SUET. *Caes.* 20, 3.

31. *App. B. C.* 2, 10, 35.

32. CIC. *Ad. fam.* 9, 17, 2; 13, 4, 2-4; *Ad Att.* 16, 8, 2; *App. B. C.* 3, 40, 165.

33. SUET. *Caes.* 42, 1.

## DE LEGIBUS SUMPTUARIIS

Morum quoque gravitati consuluit Dictator. Vectigalia imposuit opulentis aedificationibus et aedibus quarum in peristyllo prostarent columnae<sup>34</sup>. Neque muliebri munditiei et habitui decreta defuerunt. Et quamplurimae nummatorum optimatum uxores, si liberos non habebant neque quadraginta quinque annorum erant, domi asservare debuerunt lecticas quibus in deambulationibus per Urbem utebantur et in arculas conchiliatas vestes et margaritas imponere<sup>35</sup>. Neque Caesarem fugit culinae Romanae cura atque austeritas, nam «legem praecipue sumptuariam exercuit dispositis circa macellum custodibus, obsonia contra vetitum retinerent deportarentque ad se, submissis nonnumquam lictoribus atque militibus, qui, si qua custodes fefellissent, jam adposita e triclinio auferrent»<sup>36</sup>.

## DE OPINIONE PUBLICA ET SCRIPTORUM EDITIONE

Magis quam de culina Caesaris intererat a lingua et stilo scriptorum Romanorum cavere. Post pugnam ad Pharsalum «primus omnium instituit, ut tam populi quam senatus diurna acta confierent et publicarentur» sua quidem tutela<sup>37</sup>. Et ipse Cicero aequo animo ferre debebat se non edere posse exemplaria orationum nisi prius Dictatoris approbationem obtinuisset<sup>38</sup>. Orationem «Pro Q. Ligario» Balbo et Oppio dedit qui ad Caesarem in Hispania bellum gerentem miserunt<sup>39</sup>. Caecina, qui autumnus a. 46 famoso cuidam libello, cui index «Querelae», exarando vacabat quemque paulo post fortasse edidit, exilio multatus est<sup>40</sup>.

## DE TRIBUNALIBUS

Caesar veteri iudiciorum disciplinae pepercit. Quod ei impedimento non erat quominus sederet in foro et in perduellionis reos vel exterarum nationum principes sententiam ferret. Praeterea cum inviolabilitate tribunicia esset ornatus, abrogare iudicum sententias vel de iudicibus se appellandi jus concedere ei fas erat.

## DE EXERCITU

Caesar per legatos pro praetore firmiorem unitatem, conjunctionem, perpetuitatem regimini et moderationi exercitus contulit. Antea ducum imperium

---

34. *Ad Att.* 13, 6, 1.

35. *Suet. Caes.* 43, 1.

36. *Suet. Caes.* 43, 2.

37. *Suet. Caes.* 20, 1.

38. *Cic. Ad Att.* 13, 19, 2; 12, 2 et 20, 2.

39. *Cic. Ad Att.* 5, 19, 2.

40. *Cfr. litterae inter Cic. et Caecinam, Ad fam.* 6, 6; 8 et 9 cet.

nihil aliud atque gradus in honorum cursu erat; qui vero sub Caesare exercitui praefecti erant, ex officio et arte militiam exercebant et a Caesare, qui summum habebat imperium, potestatem accipiebant. Quam ob rem provinciarum moderatores impediabantur ne exercitu in proprium commodum uterentur, cum milites tantummodo praefectorum et ducum imperiis obtemperarent.

Hic rei publicae gerendae modus ac ratio qua summum imperium in voluntate Dictatoris situm erat antiqua libertate et licentia amissis quamplurimis arridere non poterat optimatibus, qui utilitati suae inservire cupientes praeterita rei publicae tempora desiderabant. Caesar amplissimam formam ac speciem imperii effinxerat; quam formam et speciem rei publicae animo concipiendae factiosa illa et occaecata nobilitas capere non poterat. Unde haud multum temporis interpositum est quin tandem optimates primum clam, deinde aperte consiliis Dictatoris obsisterent.

Tria quasi momenta pugnae optimatum cum Caesare distingui oportet: primum simulate non ultro victori cedunt, deinde in Caesarem arma sumunt, denique cooritur conjuratio.

### SIMULATE NON ULTRO VICTORI CEDUNT OPTIMATES

Laudi Caesari tribuendum jam inde a principio usum esse magna erga devictos liberalitate et humanitate.

Sinuessae quadam fortasse assentatione et adulatione Dictator Ciceroni scribit, ut ex litteris ad Atticum missis constat: «Recte auguraris de me... nihil a me abesse longius crudelitate...; ex ipsa magnam capio voluptatem...; neque illud me movet quod ii qui a me dimissi sunt discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferrent; nihil enim malo quam et mei similem esse et illos sui... Tu velim mihi ad Urbem praesto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar»<sup>41</sup>. Tamen Caesar a Cicerone, qui tum magna haesitatione et cunctatione laborabat, impetrare non potuit ut novum rerum statum sua in Urbe praesentia approbaret. Ut propositum exsequeretur novandi rei publicae formam et institutionem, per Q. Cassium et M. Antonium tribunos extra pomerium cito senatum coëgit, quo plures patres, qui Romam redierant, convenerunt<sup>42</sup>. Caesar modestissimis verbis locutus legationem ad Pompejum mittendam proposuit quae de pace ageret. Qui aderant — «consessus senatorum... senatum enim non puto»<sup>43</sup>, «turba patrum»<sup>44</sup> — sententiam assensu acceperunt; tamen cum Pompejus, qui Romae manerent, nota hostium minitatus esset, quisque senator vitavit pericu-

41. Cic. *Ad Att.* 9, 16, 2-3

42. PLUT. *Caes.* 35; Dio Cass. 41, 15, 4.

43. Cic. *Ad Att.* 10, 1, 2.

44. Luc. 3, 104.



lo legationis se committere<sup>45</sup>. Tum Caesari visum est patres regimine liberare et per se rem publicam administrare<sup>46</sup>. Nefas autem Dictatori erat respuere optimates, quibus tanta benignitate pepercisse videbatur.

Cicero tamquam specimen et exemplar superbae et contumacis nobilitatis fuit, quamvis fortasse moderatissimus inter optimates inveniretur. Orator, ut arundo quae vento cedit, animum ad tempus rebus flecti sivit. Attico in epistula scribit se saltem semiliberum tacendo et latendo servare velle<sup>47</sup>. Cicero primam cautionem et prudentiam aliquantulum quasi remittens melioremque rerum exitum exspectans, difficillima condicione medius inter partes consistebat cum domi tum a victoribus tum a victis crebro visitaretur<sup>48</sup>. Immo vero plurimos optimates in gratiam Caesaris reconciliavit, ut Trebonium, T. Ampium Balbum, A. Manlium Torquatum nonnullisque et veniam a Dictatore impetravit, ut Q. Ligario et consulari Marcello seni qui adeo acriter a. 51 proconsulem Galliarum impugnaverat. Cui Caesar amplissime pepercit. Cicero vero, qui tacita ulciscendi causa imperium singulare aegre ferens sibi silentium imponere constituerat, non potuit non duos annos longam taciturnitatem rumpere ut magnifica illa oratione «Pro Marcello» gratiam referret divinae magnanimitati Julii Caesaris, invicti viri, qui propriam vicerat victoriam: «ita mihi pulcher hic dies visus est ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis rei publicae»<sup>49</sup>. Forsitan Cicero haec superlata verba sincere dixisset quae ceterum suo acerrimi optimatis iudicio parum convenirent; praeterire autem non licet oratorem teneriore animo fuisse vehementissimeque se commotum sensisse amplissima erga Marcellum Caesaris humanitate. Tamen mox Cicero priore illa invidia et aegritudine iterum affectus est.

Orator suo exemplo maximae partis nobilitatis animum in novum Romae dominatorem nobis ostendit atque revelat. Ratio enim patet, nam ut W. Warder Fowler ait: «Caesar imperium singulare rei publicae salutem putabat, optimates Romae oppressionem. Caesari vetus res publica rerum confusio et perturbatio erat, optimatibus libertas et omnium utilitatum genus»<sup>50</sup>.

## ARMA, IN PRIMIS HONORUM, IN CAESAREM SUMUNTUR

Cum non opportunum videretur indicto bello praepotentem Dictatorem appetere, Caesaris adversarii arma honorum — primo conspectu non perniciose — sumere constituerunt ut invidiam populi in eum concitarent.

Senatus maximis honoribus religiosus Caesarem extulit coronamque regiam, ut acciperet, contendit.

45. PLUT. *Caes.* 35; DIO CASS. 41, 15, 4.

46. CAES. B. C. 1, 32, 7.

47. CIC. *Ad Att.* 16, 31.

48. CIC. *Ad Att.* 9, 20.

49. CIC. *Ad fam.* 4, 4, 3.

50. W. WARDE FOWLER, *Jules César*, edit. gall. Payot, Paris, 1931, p. 291.

Quinam hujusmodi honores religiosi essent, Carcopino summam facit<sup>51</sup>; in fastigio Capitolii nomen Caesaris insculptum est pro Catulli quod est deletum; ejus currus in cella positus est ejusque signum aëneum cujus ad pedes erat inscriptum a senatu: «Caesari semideo»; novum Lupercorum collegium cui nomen «Luperci Julii» constitutum est; decretum est ut ludi in memoriam victoriarum Caesaris fierent ejusque dies natalis sollemniter ageretur; nomen Julii mensis Quintilis accepit; et tensa qua in circensibus pompis veheretur et ferculum et in lectisterniis pulvinar illi sunt devota; domus ejus fastigio ornata est; duae statucae constituae in templo Quirini et in templo Clementiae; tandem a senatu, a. 44 ineunte, «Divus Julius» appellatus est.

Quod ad honores hujusmodi sacros attinet, necessarium non putamus, ut Carcopino postulat<sup>52</sup>, credere in numero deorum Caesaris adscriptionem gradum quendam esse quo ad solium regale conscenderet. Rectius nobis videtur Caesar, cum religiosam indolem et naturam populi Romani penitus cognitam haberet, sacris honoribus usus esse ut suam fortunam firmaret nimbo quodam divino sese victoriasque suas collustrans, sicut et ipse Sulla aliique principes historiae Romanae fecerant. Non adeo graviter serioque Caesar sese deum putaret, cum, si Dioni Cassio credimus, inscriptionem «Caesari semideo» deleri jussisset gradusque Capitolii a. 46 in triumpho flexis genibus ascendisset, quod quidem numen ante aliud numen non deceret sed potius signum magis minusve sincerum pietatis in deos religiosissimo populo Romano videretur.

Forsitan in majus periculum adduxerint Dictatorem qui ei regnum obtulerunt. Nam apud Romanos nomen regis invidiae nomen erat. Num se Caesar hoc aurato reti passus sit irretiri, perpendamus opus est. Non de imperio singulari quod Caesar jam diu victoriae causae exercebat sed de titulo regio agebatur, nam dum potestatem regalem renueret, dictatoria contentus, aliquid veteris rei publicae perseverare videbatur cum jure alii quondam Romae dictatores fuissent.

Jam inde a Plutarcho, quem antiquis rei publicae institutionibus favere constat quique asseverat cupidinem dominandi Dictatori acerrimum odium invidiamque attulisse, quamplurimi scriptores, quamvis et gravissimi nonnulli, tenent Caesarem sese regem facere et appellare voluisse

Tamen Caesar profecto regis titulum appetebat cum re vera summum habebat imperium? Dum alii scriptores cum Carcopino Dictatorem Romanum se regem facere cupiisse contendunt et alii contrarium sustinent judicium, forte nonnihil lucis huic implicatissimae quaestioni adhibebit media inter scriptores Bailly sententia, qui Caesarem opinatur semper quadam animi

51. CARCOPINO, *Histoire Romaine*, t. II *César*, Presses Universitaires, Paris, 1937, p. 999.

52. CARCOPINO, *op. men.* p. 999-1000.

haesitatione ob regiam potestatem sibi oblatam laboravisse, ita ut modo eam aperte rejicere, modo magis minusve simulata voluptate accipere videretur<sup>53</sup>.

Quid igitur causae et utilitatis Dictatori erat quod titulo regio decorari vellet? Regia potestas atque stirps opus Caesaris confirmavisset; praeterea titulus regius necessarius putabatur ad subigendas Orientis nationes ubi tanta auctoritate reges gaudebant et ubi non minore quam ceteri imperio sese praebere decebat. Tandem eo quoque titulo scrupulus et religio non fuisset quominus expeditio et bellum iniretur adversus Parthos qui devinci non possent nisi a rege, ut in Sibyllinis legebatur.

Quid ergo morae et periculi erat Caesari in titulo regio accipiendo?

Si titulum, qui tantae invidiae populo Romano erat, sumere audebat, summum in se odium concitabat famaue maleficis linguis pervulgata increbrescere poterat Dictatorem caput et sedem Imperii ab Urbe Alexandriam transferre velle, quippe qui magna necessitate conjunctus esset cum Cleopatra Aegyptiorum regina quae a. 46 triumpho Caesaris adfuisset quamque Caesar amplissimis eisque fere divinis honoribus extulisset.

Quae commoda et pericula accipiendi titulum regis semper cunctantem et haesitantem Caesaris animum habuerunt. Ita explicarentur haec testimonia inter se contraria ab historicis allata: quod ex alia parte coronam regiam ab Antonio in Lupercalibus sibi oblatam, plaudente civium multitudine, coram populo rejiceret<sup>54</sup>, et a. 44 mense Januario vertente, cum ab urbe Alba Romam reverteretur regisque nomine a nonnullis civibus salutaretur, se responderet Caesarem non regem appellari<sup>55</sup>; et ex alia parte, C. Epidium Marullum et L. Caesetium Flavum tribunos cum eos in vincula coniecissent qui regem Caesarem primum appellassent, tribunicia potestate exueret. Dictator periculo accipiendi tituli regii sese committere vitabat. Adversarii autem, priusquam Urbem versus Orientem relinqueret, sicas tandem exacuerunt ut praepotentem rei publicae tyrannum e medio in perpetuum tollerent.

### CONJURATIONE COORTA JULIUS CAESAR INTERFICITUR

Haec causa fuit cur conjurati propositum maturarent: quod Caesar, omnibus rebus ad expeditionem paratis et muneribus in duos saltem annos quos Roma abesset distributis, jam jam in Orientem erat discessurus et ea tempestate praesidium suum praetorium temere imprudenterque dimiserat. Tantam sui fiduciam habebat ut nihil sibi consuleret? Num adeo caecus erat Caesar ut non sentiret adversarios conjuravisse se Romae dominatorem vi ab imperio deturbaturos? Utrum forsitan crederet se voluntate ininimicorum facile potiturum esse eorumque invidiam mitigaturum si praesidio destitutus

53. BAILLY, *Giulio Cesare*, trad. ital. G. Morelli. Firenze, 1934, p. 260

54. PLUT. *Caes.* 61.

55. PLUT. 60.

omni metu deposito solus palam incederet, an —si Bailly sententiae favemus—<sup>56</sup> quodam fato compulsus ducebatur cum Romani adeo fati necessitatem magna veneratione prosequerentur, et Caesar adeo Romanus esset ut ea necessitate et religione exuere se non valeret?

Sive imprudentia sive superbia sive factorum necessitas erat, cur Dictator praesidio se non muniret, adversariorum audacia in dies crevit facilis tyrannicidii opportunitate

De conjuratorum numero et condicione, historici scriptores testantur ad sexaginta viros fuisse inter quos et quondam adversarii cum Caesare reconciliati inventi sunt ut C. Cassius Longinus, M. Junius Brutus, Q. Ligarius, Pontius Aquila, Rubrius Ruga, Sextius Naso, et ipsius Caesaris assectatores qui ejus potentiam et dominationem nimis pertimescebant ut Servilius Sulpicius Galba, Q. Minucius Basilus, Q. Tillius Cimber, C. et P. Trebonius, D. Junius Brutus. Qui vero et quotquot eodem vel simili modo de praesenti rei publicae statu cogitarent paulatim in commune consilium convenerunt. Quod commune consilium et propositum ut justitiae et patrii amoris speciem praeberet, e conjuratis deligendus erat is vir cujus auctoritatem morumque integritatem omnes perspectam haberent.

Qui vir fuit Marcus Junius Brutus, nepos et gener Catonis, filius Serviliae quam Caesar amore prosecutus erat; traditum a majoribus morem servans causam Pompeji secutus est, apud quem ad Pharsalum pugnavit; tamen Caesar eum condonavit tantaque, uti videtur, amicitia et fide affectit ut Galliae Cisalpinae administratorem a. 46 et praetorem urbanum a. 44 crearet. Videtur Brutus sincero gratoque animo erga Dictatorem fuisse ita ut fortissima regiminis Caesariani quasi columna fore crederetur.

Brutus autem primum mutavit animum Cicerone auctore cujus in familiaritatem penitus intravit, praesertim cum uterque communi philosophiae studio conjungeretur, etsi Cicero Bruto viginti annis esset provector. Tusculanarum doctrina, ubi Arpinas Stoicorum disciplinam pervulgans libertatem sapientis extollit sub caduca imperantium potestate —quae evidens regiminis Caesariani erat objurgatio— in vehementem Bruti animum irrupit. Quem saepe Cicero inflammavit, quamvis, quae consecutura essent, non praevideret, veram vel fictam majorum memoriam in mentem revocans illum nempe Brutum qui Tarquinius exterminandos curaverat et Servilium Aham qui usurpatione Spurii Maelii populum liberaverat<sup>57</sup>.

Quo pacto Cicero, qui variis animi motibus excruciabatur quique vero aegre tulisset quod de sua sincera in Caesarem conversione dubitaretur, literis, privatis sermonibus, querelisque acerbitate refertis amicorum voluntatem, et in primis Bruti, infestam Dictatori convertit.

56. BAILLY, *op. mem.* p. 264.

57. CIC. *Ad Att.* 13, 40 (m. aug. a. 45); 12, 45, 3 (m. maj. a. 45); PLUT. *Brutus* 9, 2.

Brutus autem cuius animum et memoria beneficiorum Caesaris et philosophicae de rei publicae libertate considerationes simul vexabant, conjuratorum factionem aperte non secutus esset nisi C. Cassius Longinus, dux quondam exercitus Pompejani, cui Caesar post pugnam Pharsalicam quoque ignoverat, ambitiosus vir, vehemens, nihil in agendo religiosus, unus ex probrissimis illis optimatibus quibus nihil aliud erat potestas quam divitiarum sibi parandarum copia et opportunitas, dubium animum Bruti ad caedem Caesaris induxisset, ut unice res publica incolumis servaretur<sup>58</sup>. Et ille vir qui de recta via nunquam deflecti solebat, mortem Caesaris tamquam patrium officium inde putavit omnem religionem tollens qua tyrannicidium prohiberetur. Igitur prorsus artem bene disserendi conculcans philosophus et senator satis esse iudicavit tyrannum abolere, ut aboleretur tyrannis, quin in ejus mentem veniret, cum interfectus esset qui rem publicam evertere contendisset, rem publicam cum illo quoque corruiere posse in sepulcrum.

Quod reliquum est, historia «magistra vitae» testatur. Infestis illis Idibus Martiis a. 44 Caesar Dictator praepotens ad pedes Pompeji in curia interemptus est pugionibus conjuratorum<sup>59</sup>.

Hi vero, quae optaverant, erant assecuti?

Id quoque historia memorat. Mors enim Caesaris, quam viam unam tantum ad rem publicam instaurandam excaecati illi optimates putaverant, dilucide significat quam male rem gesserint quantamque acceperint cladem. Cicero facinus verbis: «animo virili, consilio puerili» denotat atque designat<sup>60</sup>. Post Dictatoris caedem nihil est effectum quoniam nihil ante paratum. Et vetus consularis qui spem non amiserat rem publicam reviviscentem suis orationibus iterum moderandi, fugientes vidit in Capitolium strenuissimos et fortissimos Caesaris percussores ut praesidio gladiatorum munirentur. Orator, suis litteris ad Atticum, de amissa opportunitate acerbè conqueritur<sup>61</sup>.

Caesar interfectus rem publicam in perpetuum interfecerat. Primum enim viderunt Romani novum Octavii, Antonii, Lepidique triumviratum, deinde exiguarum copiarum senatus cladem novumque bellum civile inter Octavium et Antonium, denique victoriam nepotis Dictatoris et Imperium...

Caesar ergo adversarios —etsi non vitae cursu et tempore, morte quidem et opere— superavit, dignus qui omnium ore Imperii Romani conditor jure appellaretur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Salmanticae, Idibus Martiis a. 1957

58. PLUT. *Brutus*. 10, 2-3.

59. PLUT. *Caes.* 66.

60. CIC. *Ad Att.* 15, 4.

61. CIC. *Ad Att.* 14, 10; 15, 11.

# Cicero post viginti saecula redivivus

Heus! Heus! Mi Attice, mi Attice! In perpetuam rerum novarum admirationem me toto jam triduo conjectum scito. Quid magis mirandum quam me ipsum vivere post annos innumerabiles ex quo mortuus creditus sum? Et tamen, si vivus, insaniam profecto si me revixisse incredibile reputem. Nunc admittere nollem fieri ullo modo posse ut ad te, quem ubi sis nesciamus, verba mea perferrentur; sed quid mihi jam simile aut dissimile veri? Si is qui mei curam tam peramanter suscepit asserat verba mea ad te per undas aërias posse perferri, cur ei fidem non praestem? majora miracula coram ostendit! Docuit quomodo hodie jam litterae sine tabellariis mittantur; ostendit et vasculum πνευματικόν quod de media Roma per cuniculos subterraneos epistulas ad superos et ad inferos perfert; explicavit usum telephoni quo duo, quolibet spatii intervallo sejuncti inter sese tamen quasi ad aurem colloquantur; ostensum est sine dolo posse sisti coram nobis, admirandarum machinationum ope, quidquid eodem temporis puncto in quavis orbis plaga vel dicitur vel agitur; immo vero, quidquid et actum et dictum jam est, coram me iterum posse vel fieri vel dici... Quid aliud ergo mihi restat nisi ut jam quodlibet eis credam? Sed, eheu, ubi tu sis ignorantes, verba mea taenia magnetophonica insculpta per undas aetherias semel et iterum erunt transmittenda: faciant Superi ut ab aliquo istinc intercepta, ad te tandem perferantur.

Verbo igitur hospitis fretus acquiesco libens et sine tabellariis ullis ad te verba haec volitantia mitto, nihil de meo novo statu celatura. Superos omnes deprecor ut, si verum sit hoc tantum miraculum, te sinant ad me opem et solacium laturum advolare: nunc, ex ordine, singula.

Contrectabam me ipsum stupens nudius tertius cum inter dirutas quasdam macerias datum est oculos ad solem aperire. Ingero praeteritorum memoriam, contrecto collum, manus, pectus pugionibus olim ab infestissimis nostrae libertatis hostibus transfossum: verine sunt sensus? nonne mea memoria manus fuerant abscissae? cur eaput vacillat velut a corpore resectum? Nihilominus, ego, ego ipse sentiebam, spirabam, movebar. Mihi crede, parum prae tanto gaudio affuit quin iterum interirem.

Vix tandem expergefactus, aegre consisto, quippe qui motus omnis diu expers graviter nunc moveor. Agnosco primum Horatorum tumulos, agnosco siliceam Appiae straturam: pro Juppiter, cur me Romae, si ad Formias occisus? Agnosco et caelum nostrum serenum eosdemque circum montes: accedo paululum, reperio columnam miliariam V, Urbem tandem: conspicio. Di immortales, quam in immensum succreverat! Subit mihi primum in men-

tem Epimenides ille, somniatorum princeps, qui septem et quadraginta perpetuos annos somnum continuavit: illum imitatus, media me sisto in via, circumspicio omnia hianti similis, sed toto conspectu nihil fere non novum invenio: sepulcra omnia diruta, numero multo frequentiora quam unquam vidissem: solum stratura, caelum, montes, Appiam viam me calcare demonstrant.

Tum aliquid post me raucè sonans stridere minaciterque appropinquare: vix e media via recesseram, obstupefactus animadverto pertransiisse me raedam prorsus necopinatam, rotis solis duabus mire libratam duosque barbattulos juvenes vehentem: obstupebam nihil dignoscens cum me, priori similis, alia raeda praeterit cujus equitantes juvenes convicia in me non admodum perspicua jactabant: intellexi tamen de media via mihi esse recedendum. Res erat adeo a nostris vehiculis dispar ut de somno non annorum tantum sed saeculorum plane cogitare inciperem.

Majus aliud mihi obiciebatur cum velocissime accedentem video alterius generis raedam, totis quattuor turgentibus rotis totamque metallo fulgenti et vitro contextam, tamque affabre factam ut commodissime in ea parva familia reciperetur: quodque majus est, non ab equis aut ullo genere bestiarum trahabatur, sed ut postea compertum habui, de se ipsa *μτχανιχῶς* motuum vim excitabat; tantoque silentio et velocitate progrediebatur ut per aëra liquidum eam currere vel volare diceres. Horum vehiculorum postea vidi et Urbem et vias omnes esse plenas.

Cum ne verbum quidem ab ullo redderetur, sedendum iterum censui in crepidine sepulcri, inexhaustamque rei novitatem suscepti considerandam. Instabat Saguntina fames si sic reliqua prorsus itura essent, et non eo usque taedebat recuperatae vitae ut eam inglorius amitterem. Di voluerunt mediantanti subvenire. Ecce appropinquantem prospicio virum quemdam quem posthac numinis loco sum habiturus: hic, dum tranquille obambulando huc illuc viae monumenta perlustrat, me prope sepulcrum casu intuitus recta ad me festinat, suspicatus, ut postea comperi, praesertim ob insolitam togae novitatem et meam immobilitatem, signum aliquod novum a fossoribus fuisse repertum. At cum non signum aliquod, sed hominem se moventem repperit, stupefactus «Quid tu hominis es?» inquit. «Antiquus homo, respondeo, si verum est quod cogito, de mea me aetate somno sepultum decidisse: opitulare, te quaeso, gratumque me experieris ac memorem». Ille autem, ut sensit latine sibi omnia responderi, magis obstupuit, tamen subridere coepit. Felix auspiciam! Tum, perpetuo Latino sermone plura sciscitatus, tandem vera omnia acceptat meique misertus humanissime sub cura sua et tutela me recipit: nolensque multum me defatigari, jucunditate pleno sermone rei novitatem ipse amplificat, commemorans non solum Epimenidem, verum et septem alios quos Dormientes appellabat, quique tria fere saecula recentioribus temporibus obdormiendo transierant. Obambulavimus igitur,

singula, quae obviam nobis veniebant, quaeritando et explicando: aetatem autem meam commodissima interrogatione resolvit: quaesivit num Diocletianum, Trajanum, Neronem imperatores noverim: negavi; num Tiberium, Augustum: negavi iterum; num Pompejum, Caesarem; corripit membra tremor, dum haec audio nomina; tum ille sentiens me ad istorum tempora pertinuisse, plura de eo tempore percontatur, donec amplissime dilatata tantorum virorum notitia, conquiescit.

Locum vero ubi expergefactus eram revisens, quaesivit ane Atticus aliusve de ejus cognatione essem, cum in illius sepulcro jacuissem. Quibus verbis patuerunt mihi multa, nomen tamen meum interea reticere malui, de memoria illud excidisse deplorando.

Brevi: me domum suam, in villam non procul a sepulcris disjunctam, munifice et large invitavit et confabulando perduxit: ubi suorum occurratone edicta, ad prandium sine mora humanissime sedere me jussit, aequum non esse dicens ut vitae restitutus tam cito fame perirem.

A prandio surreximus maturius propterea quod inter loquendum tum curiositas mea excitata erat bibliothecae quam apud sese ditissimam habere dixisset cognoscendi, tum quia Urbis desiderio me urgeri non negaveram. Quam multa de nostris litteris hodie quoque asservantur et leguntur! Quam pulchre exscripta quamque angustis elegantissimisque voluminibus omnia ordine collecta!

Tremere animo inceperam cum ille, ostendens plenum librorum parietem «En, inquit, volumina ista litteras Latinas continent, fere omnia quae tuo tempore erant scripta: haec alia post te scripta sunt». Tum ego adeo de me ipso eum sciscitari gestiebam ut protinus quarerem: «Ciceronis autem, num quid asservatur?» Ille verbis nihil, ac manu integrum librorum loculum commonstrans: «Omnia ista Ciceronis solius sunt» inquit. Mihi, ut facile credas, omnia interiora moveri, oculos obnubilari, vires deficere: videri plus a fato impetrasse quam fuissem ausus optare. Trepidationem meam ipse animadvertit et jam jam de me vera suspicabatur cum in mentem aliud majus subit, duosque totos loculos raptim commonstrans «Haec, inquit, disputant omnia de Ciceronis rebus, de amicis quos habuerit, de philosophia quid dixerit, de religione quid senserit». Tertio iterum exsilit et ad aliud armarium se conferens, digito monstrat plura aequalia volumina quibus inscriptum erat «Paulys-Wissowa Encyclopaedia»: ex quibus uno electo cui suavissime blandiebatur docet me ilico Ciceronis omnia prorsus sciri, de scriptis, de itineribus, de factis, nullo fere totius vitae die praetermisso quin pervestigatum sit et ubi fuerit et quid fecerit.

Dum haec ab eo dicuntur, dumque videor caelum digito attingere, tanta in me laetitia irrumpit tantusque me pudor hujus eximiae in res meas diligentiae capit ut exterius rubor prodatur illeque me Ciceronem esse protinus intellegat. Socios tunc prae stupore et gaudio inclamando vocasset, nisi ori



ejus manus ego apponens per omnes deos obtestatus essem ne me adhuc proderet donec convenientius de opportuniore tempore pacisceremur.

Indutiis factis et dissimulatione inter nos omni omissa, nos totos in mea convertimus. Ego orationes et litteras percurrere, factaque vitae meae quo modo ab hodiernis scriptoribus narrentur celeriter investigare, invenio plura asservata quae vel ipse oblitus essem, idque intellego tuae et Tironis diligentiae potissimum deberi: ex quo gratias maximas vobis habeo quod tantam mihi gloriam paraveritis: hoc profecto erat optare quam sperare facilius. Ille postulare multa, confirmari a me velle quidquid dubitaret, plura sciscitari quae desiderasset. Tandem, cum ex homine factum me deum videret, asseverare honorifica mihi multa jam parari quo viginti saeculorum recurrens meae mortis memoria hoc potissimum anno agitari incipiat: invaluisse enim multum apud eos hunc morem memoriae colendae eorum qui patriae decus aliquod pepererint. Eo sibi noster reditus jucundior videri quo minus expectatus: denique prae gaudio sibi milies gratulari quod me Ciceronem esse tam cito compertum habuisset.

Multa etiam de Latino sermone confabulati sumus, non omissa memoria eorum quae in nobismetipsis, callidissima qua pollent linguarum scientia, reprehendunt: illud vero maxime miratus sum quod, cum plurimi fiant qui Latinum calleant, nulli potiores habeantur quam qui ad mei similitudinem artem studiumque dirigant. Recordarisne haec potissimum me desiderare tum cum ceteris voluptatibus amissis id unum expectabamus superesse senectutis nostrae solacium?

Quod reliquum fuit ejus diei familiarissime domi exegimus: hospes sese felicissimum apud suos vocitare non destitit: ego, qui tam humaniter exceptus videbar, pari eis hilaritate rependebam.

Postridie Urbem nos adire statueramus, electa ad hoc ambulatione quo commodius nostrae aetatis reliquias dignoscerem, si quae inter tam multas antiquae Romae ruinas invenirentur. Sed toga erat deponenda ne cui Romano, ut ipse dicebat, irridendi mei facultatem facerem: nam etsi exterarum gentium catervis propriae quibusque vestes permittuntur nullumque indumenti genus admirationem in Urbe movere censetur, affirmabat tamen fore ut nullus tam peregrinus habendus esset quam qui Romae Romanam togam indueret. Perire olim credideram si alius fierem, sed ut nunc sunt homines ita et vivendum et vestiendum est: etsi mihimet plane ridiculus videbar, humaniter tamen erat ferendum.

Per Appiam portam Urbem ingressi sumus: praetergressis propter temporis angustias Aventino et Caelio, recta forum petimus. Solo eminent ubique per vias plurimae antiquitatis reliquiae magnae cujusdam molis: stat in primis Flavii Amphitheatrum, immane vestigium, a nobis plus uno saeculo recentius, ubi nostro tempore palus erat. In Palatino autem, tam multa alia

super alia exstructa, quassata, denuoque effossa sunt ut de antiquioribus vix lapis unus certus possit inveniri: aream ubi mea domus fuerat olim a Clodio diruta et a senatu restituta, frustra quaesissem vel ego. Forum vero, ni idem ipsum esse probatae fidei viri jurassent, vix agnovissem, tum quia in eo nihil integrum sed omnia mire subversa et commixta jacent, tum quia ipsa vestigia ad plures Romas pertinuisse reperitur, saeculis, incendiis, barbaris, facientibus locum: nihilo minus hujusce aetatis homines tanta nostrarum rerum admiratione afficiuntur ut ipsa vestigia diruta turmatim frequentent, ita ut cotidie in eis omnium gentium comitia haberi credas.

In ipso jam ingressu demonstrabat mihi meus dulcissimus dux raedas maximas quae casu convenerant: eas dico raedas quae vel LX simul homines commodissime, quocumque velint, transmittunt: provocabat me ut, quibus e gentibus venissent, divinarem; lego semel, iterum, tertio ac nihil intellego: litteras scio at verbum nullum lego. Tum ille: «En Hispanos, Helvetios, en Germanos, en Anglos, Belgas, Francos, en quas mundus transmarinus per mare vel aëra huc transmittit catervas». Hi autem peregrini, Europaei praesertim, sic in Italiam voluptarii itineris causa quotannis catervatim descendunt, ut ineunte vere Hannibalicam invasionem instaurari dicas: pacifice vero veniunt et cum gaudio accipiuntur, nec per impervia Alpium juga traiciunt ut olim, sed per rectos cuniculos mira sollertia suffossos.

Haec dum inter nos fabulamur, subsistit in oculis raeda ingens cujus in latere primus perspicue latinum verbum me legere credo: sed dum EURO-PĀBUS pronuntio, ille, suavissime veniam precatus: «EURÓPABUS potius; inquit, non enim est verbum Latinum quod putasti». Cui rursus, credens prosodiam tantum illos, ut in pluribus, mutasse, «Numquid et plures. inquam, Europas habetis?» «Immo, unam, inquit, eam quam habemus, facere contendimus: verbum autem quod te in errorem induxit, composuimus ex *Europa* et *-bus*, quod nobis vehiculum quodvis grande significat. Ergo descriptum est nomine *Európabus* id genus vehiculi quod per totam Europam hominum vecturam eo facit ut invicem sese cognoscant atque inde animorum unitas enascatur». Scilicet, mutata est adeo hominum inter se condicio ut ipsi de una Europa constituenda loquantur quam ego dixerim constitutam. Digna, hercules, causa quod iterum rostra conscenderem.

Curia tamen praecipue erat invisenda, quam dixerant adhuc servari. Vix ejus tandem formam inter ignotorum mihi monumentorum vestigia conspexi, cucurri exsultans, agnoscens tandem triumphorum meorum locum, limenque osculo salutavi, tantaeque illam servatam mihi voluptati fuit ut prae gaudio lacrimas effunderem non secus ac cum primum in eam exul rediens fueram ingressus.

Statuto ut majore quiete huc esset mihi redeundum, brevis Capitolii perlustratio visa est non ultra differenda. Transeundum per forum Caesaris, quem ille libertatis et Senatus hostis excitare inceperat: inter arbores propter

viam ecce aëneus stabat ille, sed festinandum nobis erat et ad simulacrum non accessimus; eo melius! Quam vellem is nullam sui memoriam reliquisset!

Capitolium ubi conscendimus, totius orbis caput, initio nihil non novum conspicere poteram. Stat vero in summa columna collocata aënea lupa, imago et signum totius nostrae aetatis et omnium quae ad cultum et humanitatem posteros docuimus. Capitolini Jovis templum, eheu, tantum antiquitatis modo studiosis patet ejusque fundamenta, quae eruditionis et historiae causae custodiuntur, parum religiose invisuntur.

Ejus locum Romae nunc tenere dicunt templum Sancti Petri in Vaticano, augustissimae et amplissimae cujusdam molis ut longe prospexi, neque minus magnitudine quam elegantia et opibus et religione supra splendidissima olim templa computandum.

Denique in Museo, quod dicunt, plurima signa asservantur, quorum, si nos latebras omnes et recessus memoriae nostrae lustrabimus, fortasse origines, loca, dominos poterimus ostendere, quorum notitia hodie ad eruditionem summopere exquiritur. Illud vero meus humanissimus hospes novissimum servarat, ut necopinato ante mei ipsius imaginem marmoream consisteremus: ipseus eram, fateor, sicque vera erat mei similitudo ut fugendum inde censerem ne ab exterorum turbis agnoscerer.

Exeuntibus adhuc verbum factum est de Tulliano et de Catilina. Nimum, eheu, iste notus mea sollicitudine!

Eo vespere, ut inter prandium erat statutum, eundem nobis erat in Tusculanum: caelum enim mire amoenum nec ulla usquam nubecula inquinatum ad agros potius quam ad Urbem invitabat. Sed vix obieceram fore ut forsitan tempus nobis non sufficeret, «Immo, et supererit» inquit: et commonstrans nepotis se moventem birotam, omnino, illis similem quas in Appia conspexeram, «Fac praesenti sis animo, novamque raedam experiare quam nepos nuperrime acquisivit. Ipse ducet». Certum jam mihi interitum ominabar cum ipse, elegantulus adulescens, suavissime «Beatum me feceris, inquit, si meam VESPAM velis conscendere: non est quod metuas: tu quietus esto: in me curam omnem recipio».

Ego me tacite Superis commendo et sedeo post eum. Vix sederam jam currebatur, et quidem non tantum velocissime, sed, fatear, et commodissime: ut olim incedebamus testudines! Minus una hora totum iter erat confectum quin quidquam interim molestiae fuerit. Via enim non ut nostro tempore lapidibus strata, sed mire aequalis et utrimque arboribus saepta, pari digestis intervallo: res itaque successit opinione melius.

Ut autem consenso colle susurrans «VESPA» quievit, impatiens morae Tusculum circumquaero. Heu me miserum! nudus collis, sine domo, sine villa! Roganti ubi vel quid nostri servetur, ille muta manu commonstrat theatri ruinam. Tum ego tradere me tristitiae: addit ille non frustra duo

milia annorum praeteriisse, barbaros pluries irruptionem fecisse, aetatem ipsam fortissima quaeque perimere... Subibat in mentem Roscius noster dulcissimus, quem saepe huc tecum visurus conscenderam: eo tempore nullus eo nugacius sapientiam tradebat.

Oculis villam meam in collis dejectu quaero, quam tanta signorum copia ornaveramus: inter complures recentioris temporis villas, nullum ejus vestigium oculis apparet: aliqua tamen inventiendi spes. In descensu autem, proximo viae loco vetustissimoque parieti applicata villa quaedam vel potius casa misera erat in qua obstrepebant graculi, scalpturiebat gallus, porcique obgrunniebant: nonne hic olim Caesaris opulentiae? Indignum sane fragmentum quod servaretur!

Redeunti hospes fit obvius. «Salve multum, amicissime Cicero, satin' salva omnia? an medicum arcesso?». Atque apud sese ridet ac paene in cachinnos solvitur.

In diem crastinum valde me liberaliter invitabat ut Formias, Bajas, Puteolos, Neapolim, Pompejorum reliquias secum visitarem, ad noctem Romam iterum redituri. Credidissem illum mentiri splendide ni jam de vehiculis commoditate et velocitate expertus aliquid essem: obieci tamen modeste non fieri mihi simile veri quod unus pro tanto itinere dies sufficeret quin temere vitae periculum aliquod adiremus. Tum ille, «Non «VESPA» te ducam, inquit, iter tam longum commodius in «FIAT» fiet». Quae cum mihi Sibyllina verba viderentur, affirmavit ea me ipsum die crastino intellecturum: horam jam esse decumbendi, postridie maturius exituros ut esset otium plura lustrandi visendique.

Diluculo in via eramus, commodissima raeda vecti cui nitor undique splendidus, figura elegantissima, motus omnes callidissima arte emolliti, beatitudines uno verbo epicureae! FIAT quod ei in fronte erat inscriptum hospes meus humaniter subridens demonstraverat gaudens de Latini verbi similitudine Ita autem consederamus ut ille manibus pedibusque, nisu fere nullo, miram machinam gubernaret: ego vero, cui ut minore contentione colloqueremur datus erat prope gubernatorem locus, per nitida vitra quibus raeda undique claudebatur, totum late prospectum perlustrabam commodissime recumbens. Dispeream si quod unquam in vita iter contigit mellitius! Montes ipsi Ausonii Auruncique parvo, tali raeda, sunt obstaculo, πολλὰ δ' ἀναντα κάταντα παράντα τε δόχμια τ' ἔλθε<sup>1</sup> eadem fere commoditate ac si plana percurrissemus.

Appropinquantes Cajetae maximus nos imber oppressit, sed ne paululum quidem morae hoc progressui nostro fuit: id tantum effecit ut, cum desilire de raeda prohiberemur, in viarum divortio eam, quae Cajetam duce-

1. HOMER. II. XXIII 115 (Multa vero ardua, declivia accliviaque transversaque transit)

ret, praeterissemus, Formias recta petaturi: ubi tamen, perpetuo pluvia cadente, investigare desiimus num quod de nostra villa servaretur vestigium; quod eo libentius omisimus quia nefandi Antonii satellites animo obversabantur.

Vulturno praetergresso pluviae jam non nisi rarae ac tenues: statutum est ergo acropolim Cumanam festinanter invisere. Vastam prorsus solitudinem! Silentium quo templorum vestigia circumdantur, eo magis in pectus descendit quo latior inde in oras Tyrrhenas patet prospectus desertiusque resonant κύματα παρλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης<sup>2</sup>. Sibyllae antrum Aeneadumque fabulas, a Virgilio celeberrimo poëta celebratas (quem non ego, tu fortasse vivens viventem novisti) hospes meus commemorabat. Hujus egregii versus qui, totidem fere lapidibus, propriis in locis leguntur, tantam antro et arcis sanctitatem contulerunt ut antiquitatis amatoribus in sacrarii locum haec acropolis remanserit.

Oculis Cumanum nostrum de edita arce quaesivi, at frustra: succurrebat Tulliola mea, mater hic primum effecta cum bellum civile saeviret omniaque divina et humana jura permisceret. Bajas, locum olim caeli salubritate et vitiosorum quorumlibet concursu frequentissimum, celeritate itineris tantummodo attigimus: agnovi tamen propter viam, quin de raeda nostra desiliremus, Caesaris villam quam sibi Lentulus tuus de proscriptionibus promisisset. Lucrinum et Avernum brevi conspectu salutavimus, antiquarum fabularum loca celebrata: nec parum risum movit agricola quidam, boves prae se media via ferens, cum speciem ingessit Hercules, —a quo potissimum Herculea haec via nominatur—, Gerionis boves auferentis. Puteolis visimus amphitheatrum, immane iterum vestigium, ut Flavii in Urbe. Cumque pluviae omnino desiissent voluit hospes Neapolim primum ex Pausilypo prospicere; defleximus ergo gressum et facillime de ora maris arduo tramite eum conscendimus collem qui a tergo imminet urbi. Quantam, di immortales, pulchritudinem hic fata congesserunt undique miris oculorum deliciis variam! Sed non hanc urbem erat in mente visere, itaque per mediam illam praeter-euntes, brevi constitimus Pompejis.

Hanc dirus Vesuvius uno a nobis saeculo elapso cineribus sepeliverat: quam nunc antiquitatis amatores a saeculis jam duobus industria et constanti diligentia, nec sine ingenti molimine, effodiunt perpetuo, curantes ne quid evellant vel destruant sed singula quaeque conservent; rei enim novitas, nullo interpositorum saeculorum contactu commutata, tantum pro hominibus hujusce aetatis valet ut ii, qui ex hoc potissimum studio archaeologi dicuntur, prae cognitionis hujus dulcedine voluptates alias omnes repudient valetudinisque curam saepius abiciant: ceterorum vero vix ullus eruditi viri

2. HOMER. II. XIII 798 (Fluctus aestuantes multo-strepitu-resonantis maris).

nomen mereatur qui non hic plures horas videndo perquirendoque consumpserit.

Nihil te in majorem admirationem coniecisset quam si vidisses omnino dirutam ac dissipatam urbem plura ad se visitorum agmina invitare quam cum integra floruerit. Eruptionem enim Vesuvii et effossionem non est ut referam quae tanta subsecuta sit omnium rerum perniciēs et clades: disiectae passim domus, diruta templa, abrepti, fracti, foedeque consumpti parietes.

Introeuntibus nobis urbs celebrabatur ut cum maxime. Initio hospes me, charta se adjuvans, per singula ducebat: cum vero ad forum ventum est ipse me ducem constitui volens domum tuam, quam venustissimam unam memineram, ei ostendere: non passus itaque ulterius nos per ignota viarum circumagi, eam recta peto. O bona hominum fragilia! Mirabundus reperio nulli eam domino attribui, sicut et ceterae solent, sed a fauno illo, quem in impluvio posueras, nominari. Quid ergo? Cui tu reliqueras? Nullusne eam de Pomponiis in hereditatem habuit? Flevisses denique si tantam ruinam vidisses. Villam quae nusquam non testabatur curam tuam et ingenium quo per totam Graeciam venustissima quaeque comparaveras, nudam et dirutam repperisses. Transeo fauces: vix parum in pariete asservatur operis tectorii. Peristylia funditus eversa, reliqua vero...! Unus de gemmis mille suo stat loco faunus, venustate affluens simulacrum, quod tibi adeo erat carum ut ei locum principem in domo reservaveris. Ubi vero illae musivae tabulae tanti pretii quas Corinthi, Athenis, Pergami emerās, mirae artis opera? Ubi praesertim Magnus ille Alexander cum Dario pugnans, quem ego mirabar attonitus, quique de exedra mirabile pulchritudinis et eruditorum sermonum sacrarium effecerat? Asserit hospes, plura ex his quae desideramus custodiri cum honore in Neapolitano museo: ibi tuus Alexander, etsi in multis corruptus: ibi pancarpiae illae coronae exornatae: ibi admiranda illa quattuor anni temporum emblemata quibus triclinia tota straveras, et feles cum anate: ibi, similitudine in loco relicta, faunus ipse tuus in maxima peritorum aestimatione servatur: cui honos non injuria temporis decidit sed potius augetur et crescit.

Fac cito venias: huic nobilissimae signorum inquisitioni operam communem dabimus, et de singulis hisce, sicut et de multis aliis rebus, archaeologorum notitiam augebimus: villam quam in Pompejano emeram et ornaveram, quantum conjectura potest, sub cineribus adhuc jacere credo, erat enim in suburbano: non illa fuerat mea quam nunc Ciceronis dicunt, sed eos mora et desiderium illudit.

Cum, appropinquantibus nobis Romam, aliquantulum temporis superesset pro hora constituta cenae et defatigati minime essemus, placuit per mediam urbem festinanter transire, quo, abdito plane sole, miro spectaculo arte quaesitorum luminum recrearer: itaque intra ipsam urbem relicta pa-

rumper raeda, duas tresve vias pedibus percurrimus, ut simul stomachum acueret ambulatiuncula. Vires deficiant si solis verbis de re quae solis oculis percipitur sim tractaturus: uno verbo: Cimmeriae tenebrae erant nostra lumina si cum istis comparentur. Raeda ipsa, cum sub obscuris noctis tenebris domum rediret, tanti luminis radios prae se recta emittebat ut omnia late ejus fulgore conspargerentur.

Novum aliquod portentum a cena mirari datum est: immo, portenta tria quae tu profecto nec mihi jurato es crediturus, ratus omnes insigniter mentiri donec ea tuis oculis et auribus exquisieris. Age, fac sis attentus teque paucis in hoc mysteriorum vestibulo sistam. In parva capsula, quae tuae arcae nummariae magnitudinem vix excederet, tres loculi: ex altero soni emittebantur musici vel sermones ex omni orbis plaga collecti: sic autem a se singuli disjuncti ut revoluto paululum quodam orbiculo, voces et cantus alius gentis audirentur. Res aequae arcana et captu difficilis ac quidquid mysterii unquam fuit nostrae aetatis hominibus propositum. Nondum hoc satis, admiratione perculsus, miratus eram, cum hospes me invitavit ut in alterum loculum respiciam: hic enim, mirabile dictu, sonis erat addita imago et haec quidem non immobilis, ut in pictis tabellis, sed cum suo se motu movens et mutans, ita ut non solum eum qui caneret vel diceret audiremus sed ipsum quoque dicentem vel saltantem videremus. Conor figuras se moventes manu attingere, sed nudum tango vitrum: intus latet mysterium. Vehementer stupens «Di immortales, inquam, sed hi quorum ante nos imagines saltant, ubi ipsi sunt?». «Mediolani, in Insubribus!». Interiissem prorsus nisi prius aliquantulum tantorum mirabilium hausissem.

Hoc loco hospitem rogo haec ut mihi explicet. Ille, etsi omnis orationis nervos contendit ut, qualia ista sint, perspicue edoceat, nihil obtinet. Minerva suem! vix unum de verbis mille intellego: illud unum manifestum, hunc recentis ingenii subtilioris et industriae partum etiam apud ipsos portenti instar haberi. Erat nobiscum hospitis nepos, adulescens modestiae mirae et indolis vere hospitalis, qui me perpetuo vehementer observat. Huic autem mea tantarum rerum admiratio effusissimos tandem extorserat cachinnos: ecce tum, de tertia quadam aequae mysteriosa machinatiuncula, emittitur mea ipsius vox verba eadem dicens quae nuperrime pronuntiaram, quaestiones eadem, responsum idem iidemque denique effusi cachinni. Ut, qui prius in alterum a nostro mundum me venisse credidissem, nunc in alterum tertium migrasse mihi viderer. Bene me nosti, Attice: non a me illuderis. Non audita narro: meis ipsius oculis et auribus comperta!

Jam ad finem properans, tuum adventum deprecari propero ut qua ratione traducendum nobis hoc tempus sit communi consilio constituamus.

Amici me graviter hortantur ut magno animo sim omniaque summa sperem, modo omnibus, qui sim, aperiā illis assentior, nullo prorsus modo

admisso ut procul omnium ab oculis in otio atque desidia delitescam: Cicero eram, Cicero sum adhuc, et ubi non sim qui fuerim non est cur velim vivere. Sed alterius vitae quoddam initium est a me exordiendum. Quodnam?

Placeret ad rem publicam accedere, praesertim cum talis hodie res publica habeatur qualem saepe desideravi, majusque aliud offeratur quale nunquam desiderandum nobis oblatum olim fuit, ut nempe una Europa constituta, cum reliquis orbis nationibus non de armis et vi, sed de cultu et humanitate, de litteris, de concordia et pace animorum decertetur. Si, ut pro me, non demissam vitae rationem inibo, magnam gratiam magnamque dignitatem ero collecturus. Sed non parvus prius labor erit suscipiendus ut novae rationes et artes, novi sermones, doctrinae novae dignoscantur: religio praesertim nova, a nostra prorsus dissimilis, erit pernoscenda, cum ea jam maximum appareat novi ordinis fundamentum.

Ex altera vero parte, si a litterarum studiosis fuero initio deprehensus, intellego fore ut eorum sollicitationes effugere non liceat: qua via inita, a litteris me non avelli patientur. Sunt enim non ii solum qui in omnibus fere publicis scholis pueros Latinum sermonem doceant nostraque explicent, sed in superioribus quos vocant Athenaeis —quasi omnium scientiarum sedibus— plurima de nobis dicuntur quae ipsi ignorabamus. Sunt qui latine scribant idque unum studeant ut vigeant antiqua: sunt et Latini sermonis publica certamina, talem enim sermonem sectantur qui hujus alumnum Urbis oleat nec civitate donatus sed plane Romanus esse videatur. Hac si me via prorripero, video mihi plausus maximos non defuturos et forenses perhonorificas consalutationes. Alterum utrum tandem eligendum quando quidem non ad inutile otium hanc vitam restituerunt dii.

Sed gravissima mihi obicitur sollicitudinis causa, num scilicet mihi numina usque ad «Plaudite» pervenire concessura sint. Σχιὰς ὄναρ ἀνθρώπος

ἀλλ' ὅταν αἶγλα διόσδοτος ἔλθῃ

λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰὼν<sup>3</sup>.

et mihi saltem hoc a Superis concessum est, ut restituta vita splendeat inter innumerabilium rerum mirabilia. Quam optarem mihi dari quemquam mei similem, in cujus sinum effunderem hoc meum gaudium. Quod si contingeret, ut ego hilares hosce transigerem dies!

Scito ergo Ciceronem tuum te, te solum, de media Roma desiderare.

Vale, meum desiderium, vale.

FELIX SANCHEZ VALLEJO, S. I.

3. PIND. *Pyr.* VIII 95-97: (Mutabilis umbrae somnia sunt homines: ast illis quando e supra lux mittitur arce, splendida tota nitet sparsaque divina dulcedine labitur aetas).



# DE PLATONE

(427 - 347)

Plato philosophus Athenis anno a. Chr. n. 427, belli Peloponnesiaci temporibus, e gente nobilissima oriundus primo artem poëticam coluit, annos autem viginti natus Socratem Atheniensem cognovit, cujus consuetudine ab anno 407 ad annum 399, octo fere annos, usus est; a rebus tamen patriae publicis Plato se abstinuit moribus naturae atque ingenii tenerioribus coactus; a Socrate magis magisque ad meditationem conversus philosophiae totum se dedit; Socrate autem mortuo (anno 399) magni deinceps momenti erant ad Platonis mentem evolvendam Euclides philosophus Megaricus et praeterea inter viros Pythagoricos Magnae Graeciae Archytas ille Tarentinus scriptor et homo in re publica exercitatus. In Platonis vita maxime tria itinera Sicula (annis 389. 367. 361) perpendenda sunt: primum iter anno 389 fecit, quod cum quodam scientiae fructu tum rebus adversis cumulatus anno 389 finivit, et Athenas reversus est, ubi anno 387 scholam philosophiae Academiam condidit, quae plus quam nongentos annos (usque ad annum 527 p. Chr. n.) floruit; plus quam quattuor lustra post iterum anno 367 ad Siciliae tyrannum Dionysium Syracusas se contulit; postremum insulam anno 361 adiit; interea anno 364 Aristoteles, nobilissimus ille philosophus Macedo, ad Academiam Platonicam juvenis viginti annorum se adjunxit; cujus ingenii Stagiritae amplitudine illa Academia sine dubio vim vivendi quasi immortalem est adepta. Ab anno 360 usque ad annum 347 Plato Athenis commoratus est, et ad nihil aliud nisi ad philosophiam incumbens scholam rexit, et octoginta annos natus subito mortuus est. E variis Platonis vitae temporibus, in primis de itineribus Siculis, optime edocemur; quamquam non per Platonem ipsum, sed per auctores scriptoresque quosdam, qui spurias epistulas Platonis nomine injuria ornatas confecerunt, quibus ubertim permulta acta et dicta Platonis enumerantur; illa igitur testimonia, quae de Platonis itineribus Siciliensibus agunt, ab aliis hominibus, sed numquam ab ipso Platone orta esse hisce tam multis argumentis pro certo affirmare possumus.

Duae exstant virorum doctorum sententiae, qui de Platonis epistula septima disputant: alii scripti veritatem respuunt, alii vero Platonem auctorem esse contendunt. Non id certe spectandum est, in quorum societate ii numerentur qui contra auctoritatem Platonis epistulae septimae obsistant; immo lectores ipsi argumentorum pondere id sibi persuasum habeant oportet; homines enim facillime errant et sibi favent; argumenta vero solum e verbis claris deduci possunt et immutabilia sunt. Non igitur philologorum

multitudine, sed argumentorum gravitate de fide et auctoritate epistolae septimae ob eam causam summopere respicitur maximique aestimatur, quod per multa facta continet. quae rebus in Sicilia gestis naturaeque Platonis ipsius optime convenient; illa enim epistula est scriptum historicum optimis quidem fontibus rerum Platoniarum, non autem Platonis consilio neque ejus manu compositum. Quoniam philosophia et ars rhetorica, Platone vivo, de principatu adulescentium erudiendorum certabant, consentaneum erat etiam in rhetorum scholis narrationes, quae ad Platonis vitam philosophi spectant, per epistolam a Platone effictam ejusque manu scriptam a tironibus artis rhetoricae et ab adulescentibus exercendi gratia componi; ex officina enim rhetorum Graecorum, ut ait Cicero: *De Orat.* 2, 13, 55-57, omnes fere scriptores historici evaserunt; sed epistula septima et octava falso Platoni tribuntur. De epistolae septimae qualitate genuina aut dubiae fidei ceterum solum ii judicare possunt, qui textum Graecum recte legere et juste aestimare possunt; sin autem plurimi homines non verba Graeca ipsa, sed translationes tantum illius epistolae lectitant, dicendi modum vere ineptum epistolae neque assequi neque a Platonis mente abhorrere judicare possunt. Haec epistula Platonis nomine ornata pluribus de causis apocrypha judicanda videtur esse. Cum dialogi Platonis genuini perraro ex singulis sententiis lectores offendant, epistolae tamen septimae unaquaeque fere sententia animum legentis interpellat et inducit ut illam e Platonis opusculis prorsus secernat. Epistula septima numquam a Platone ipso excogitata est; neque tota neque aliqua pars ab illo est exarata, neque ipse epistolae faciendae aliquo modo praefuit neque illam emendavit neque aliis dictavit. Plato igitur numquam hanc epistolam cognovit neque vidit. Adversabatur enim naturae ingenioque Platonis una epistula tria itinera describere eamque variis rebus incompositam nullaque elegantia exarare; haec tamen scribendi ratio aptum erat experimentum his, qui studiis historicis primum operam dabant. Hac denique epistula palam ostendebantur rationes quibus ob infirmam animi Platonis naturam tria illa itinera Sicula male evenissent; Plato vero ipse numquam sua sponte hujusmodi casum adversum subtiliter enarrasset.

Hac epistula pars vitae Platonis ejusque sententiarum tamquam perfecta proponitur, cum Plato ipse, dum philosophatur et scribit, numquam quidquam conclusit nec finivit; illa ergo epistula septima maxime naturae Platonis repugnat et falsa est habenda. Omnes fere doctrinae politicae, quas Plato variis dialogorum locis exposuerat, in hac epistula colliguntur, quia complures scribae hujus epistolae dialogos Platonicos bene cognoverant, antequam epistolam septimam conscriberent. Platonis sententiarum margaritae multae ex ejus dialogis consilii conquisitae nunc in epistula septima, cum itinera Sicula describuntur, in ordinem quendam illorum temporum redactae sunt, id quod Plato ipse minime fecit. Quaecumque ex multis rerum scriptoribus de vita Platonis innotuerunt, ea tirones artis rhetoricae magistro dicendi

auctore breviter cogere temptaverunt. Veri non est dissimile discipulos quosdam scholae rhetoricae disciplina partim sophistica mixtae irritatos quod Plato sophistas despiceret, vitam Platonis Sicilianam colore quodam sophistico scribere voluisse. In schola quadam rhetorica discipulis propositum esse poterat, ut homo maxima gloria notissimus de spatio vitae quodam ipse res internas et externas plane ostendens fingeretur; ut exemplum afferiam: ita Plato tria illa itinera simul descripsisse fingebatur; unum tantum iter narrare parum placuisset. Adeo res singulae breviter astringuntur ut huiusmodi specialis enarratio minime ad mentem Platonis universe et communiter cogitantis conveniat. Haec descriptio tot rerum caducarum et fugacium, quae epistula septima exhibentur, Platonis menti sententias semper et ubique quaerenti nequaquam apta videtur esse. Epistula septima tot temporalia et terrestria ad actiones Platonis excusandas et defendendas explicat, ut philosophum tantae auctoritatis, quanta Plato exornabatur, prorsus dedecet; quamobrem illa epistula numquam a Platone ipso scripta esse potest. Sententiae philosophiae epistula septima expressae a confectoribus illarum litterarum e Platonis dialogis sumptae sunt, ut epistula ipsa ad extremum prorsus probabilis et genuina apparet. Epistula septima tam longa effecta est, quod a compluribus ejusdem scholae rhetoricae sociis ita composita est, ut unus res historicas, alter philosophicas, tertius politicas Siciliae e compluribus fontibus colligeret; quae res sedulo conquisitae postremo magistro scholae rhetoricae in formam quodam modo perfectam redactae et in vulgus editae sunt, ut sumopere verisimile est. Aristoxenus Tarentinus, Aristotelis discipulus, vitam Platonis permultis rebus singularibus abundantem conscripsit, unde litteratores epistulam ex ore Platonis effingere possent. Aristoxenus enim summa industria et diligentia omnes Platonis res eventusque in Sicilia conquirere poterat, quia ipse Aristoxenus Tarentinus erat nobilis, qua in urbe Plato antequam in Siciliam transiret apud Archytam versabatur. Multa proinde facta in epistula septima enarrata admodum probabiliter «ad vitam Platonis» reducenda sunt, quam Aristoxenus Tarentinus composuit; jam Aristoxeni pater cum Socrate collocutus est et de Platone multa percepisse videtur; praeterea Plato in urbe Tarento cum Archyta et aliis Pythagoreis disputavit, unde rumores Platonicos Aristoxenus collegisse poterat. Eo quod epistula septima et octava continuo sese excipiunt in Platonis epistularum collectione, et quod earum materia ad res Siculas spectat, haud dubie a fonte communi derivandae videntur. Eadem fere libertate, qua rerum scriptores in historiis orationes imperatorum ponebant, etiam rhetores epistulas apocryphas manifesto illustribus antiquorum temporum auctoribus abusi simulabant. Genus dicendi in epistula septima obvium tantopere ab arte scribendi distat Platonis quam adulescentes a sene provectoro; est adulescentis scriptio rerum maturissimi viri gestarum; unde contradictio inter formam scribendi et res relatas perlucida fit perito lectori. In illa epistula quamvis multa facta exponantur, tamen juvenili magis modo nec mature nec philosophice narrantur. Verborum pompa et tumor epistulae septimae scriptorem nondum maturum produunt, qui a Platonis modo loquendi plurimum distat. In epistula septima multa occurrunt

ridicula, quae modo a scriptore quodam adolescente conformata esse possunt, quoniam tot absona dicta numquam a Platone ipso exorta habentur. Epistula septima est parvum opus historicum quod ad genus rhetoricae «epideicticum» pertinet; historia autem proxima poëtis est narrationibusque referta, quae magis ad imaginandi vim excitandam quam ad rationem instituendam scribantur; huiusmodi autem operam Plato senex non subiit; illam igitur epistulam nequaquam confecit Plato philosophus. Eadem argumenta rationesque quae de epistula septima valent, eodem modo ad epistulam octavam adhibeantur oportet, quod illae inter se artissime cohaerent. Inventores falsarum epistularum septimae et octavae nullam repugnantiam rerum politicarum Siciliae, Syracusarum vitae Platonis admittere debebant; quam ob rem omnia facta cum veritate convenientia describere coacti sunt; omnes illius Academici dialogos cognoscere, permulta scripta de Platonis vita moribusque lectitare, scholae Academicae doctrinam et sermonem explorare debebant; unde fieri poterat, ut epistulam septimam tam copiosam illi rhetoris ignoti socii componerent. Epistula septima et octava, Platone et Aristotele mortuis, in schola cuiusdam rhetoris composita est; id studium temporibus illis florebat, quo epistulae veris rebus politicis abundantes nominibus virorum praeclarorum inscribebantur. Quemadmodum epistulae Pythagorae et Isocratis, auctorum antiquitatis summi momenti, fingebantur, ita Platonis quoque epistulae, auctore ipso incognito, componebantur; scire porro necesse est Pythagoram ipsum omnino nihil scripsisse, solum placita elocutum esse. Quia Platonis dialogi genuini summis laudibus celebrabantur, alia etiam falsa scripta in philosophi corpus librorum recipiebantur, ut sunt epistulae et definitiones. Aristoteles ipse numquam de Platone epistularum scriptore mentionem fecit. Proclus quoque philosophus Academiae Platonicae Atheniensis (412-485 p. Chr. n.), omnes Platonis epistulas apocryphas esse dixit. Antiqui autem grammatici doctique homines non ea veneratione nomen Platonis prosequerentur qua philologi nostrorum temporum, qui paene superstitiose omnia scripta Platonis auctoritate insignita pro certo habent. Permulti nostrae aetatis philologi superstitione quadam affecti magnitudinem Platonis amplitudinemque sententiarum magnificarum venerantes ne hanc quidem epistulam septimam illi auctori quasi divino abrogari sinunt, haud dubie rati satis magno artificio epistulam compositam esse; sed in hac quoque quaestione illud valet proverbium: «amicus Plato, magis amica veritas»; et veritas rerum epistulae septimae repugnat Platonis modo dicendi. Philologi nostrorum temporum arbitrati Platonem semper «divinum» et maxime laudabilem aestimatum esse erraverunt, cum ignorarent illum philosophum antiquissimis temporibus non solum laudibus, sed etiam vituperationibus cumulatum esse; ex hoc tamen angustissimo aspectu solum ad Platonis majorem gloriam epistulam quoque septimam vere Platoniam esse obstinant, id quod falsissimum est. Omnia fere argumenta quae contra veritatem auctoris Platonis proferri possunt, tam gravia et firma sunt, ut paene nemo jam epistulam septimam e Platonis ingenio et manibus ortam esse credat.

V. AD DOMINAM<sup>1</sup>

*Sic totum ipse diem longo incertoque veterno,  
 noctis dum properent tempora nigra, gemo.  
 Ast ubi nox caelo stellas lunamque reduxit  
 atque umbris gelidus iam polus usque scatet,  
 tunc loca spissa peto silvis vacuosque per agros,  
 signa ubi nulla pedum, me iuvat ire diu.  
 Tunc, mihi quae intulerunt homines fortunaque tristis  
 atque Venus, palpo vulnera corde dolens.  
 Nitor at interdum defixus stipite pini,  
 aut ubi, sternor humi, defluit unda cadens.  
 Tunc mihi spes redeunt, delirus et alloquor illas:  
 sed mala et ira cadunt, vix mihi mente redis.  
 Te, domina, hic totis te viribus immemor opto:  
 quis, quis, lux animae, te mihi, cara, tegit?*

## VI. DESIDERIUM DOMINAE

*Et merito, quoniam potui te linquere durus,  
 nunc gemitus iacio fluctibus ipse maris.  
 Undae cum fremitu feriunt modo saxa meosque  
 fletus Tyrrheni murmura surda ferunt.  
 Ex quo me rerumque vices nutusque deorum  
 inter periuros trusit in exilium  
 deseruique locum, florentem ubi tacta iuventam  
 degis amore mei maestitiaque teris,  
 speravi ex illo tempus sortemque nefandam  
 saxaque, quae fugiens anxius ora premo,  
 silvasque horrentes, queis ut fera nocte quiesco,  
 pectoris haec plagas posse levare mei.  
 Heu, spes vana fuit: tenebras nam Ditis in ipsas  
 me aeternus, vehemens usque sequetur Amor.*

1. Cf. PALAESTRAM LATINAM, 26 (1956) 166.

## VII. SUA IPSIUS IMAGO

*Horret frons rugis, oculi fixique cavique;  
 fulva coma, at facies dira, genaeque macent;  
 turgida labra rubent; dens purus, pectus at hirtum;  
 est declive caput, colla decora nitent.  
 Est modus in membris; simplex vestitus et aptus;  
 mens cita, pes, gestus, tum cita verba fluunt.  
 Sobrius humanus, fidusque profusus, apertus,  
 omnibus obsto, obstant cuncta sed illa mihi.  
 Strenuus in verbis, manibus sum strenuus ipsis;  
 tristis multa agitans tempora solus ago.  
 Promptus tum, constans, ira ardens atque quietis  
 expers, virtutis plenus itemque mali,  
 quae bona sunt laudo, placeant quae pectore sector:  
 solum ex morte mihi fama erit atque quies.*

## VIII. AD FLORENTIAM

*Te quoque, ripa (fluens Arnus te rite salutat  
 atque urbem doctam dividit amne suo,  
 quae nuper Latii lapsum retinebat honorem),  
 tu quoque carminibus, ripa, perennis eris.  
 Jam, Ghibellinis Guelphisque furentibus, undas  
 in pavidas largus Pontis ab axe cruor  
 decedit, atque hodie, si quis venit advena, vatis  
 monstratur digitis illius alta domus.  
 Mi vero es dulcis, mihi felix, inclita, ripa,  
 saepe ubi molliculos duxit eburna pedes,  
 quae incessu dea spectanti tunc ipsa patebat,  
 dulcia quaeque mihi lumina vertit amans.  
 Ambrosiae ex aureis tum motae crinibus aurae  
 ferre videbantur flamina diva mihi.*

## IX. AD ZACYNTHUM

*Numquam, heu, contingam tua litora sancta, Zacynthe,  
 insula, ubi posui membra tenella puer.  
 In Graeci nitidis te spectas aequoris undis,  
 exstitit unde olim virginis ore Venus.  
 Illius primo tunc risu percita quaeque  
 insula fecundos ubere fecit agros.  
 Puras hinc nubes, hinc frondes arboris illis  
 carminibus cecinit doctus Homerus, aquas  
 qui claras fato dixit, qui longa viarum,  
 unde viro semper gloria magna fuit.  
 Hac pulcher pulcherque malis devectus Ulixes  
 tandem Ithacae saxis oscula cara dedit.  
 Quid, tellus materna, tibi, nisi carmina? Bustum  
 expers lacrimulae di voluere meum.*

## X. IN FUNERE JOHANNIS FRATRIS

*Olim, si profugus tam multas semper adire  
 gentes desiero, tum tua busta petam,  
 frater, ibique tuae, ceu fractum turbine, florem  
 vitae me flentem tristius aspicies.  
 Nunc mater tantum, postremo heu tempore, mutos  
 de me saepe tuos adloquitur cineres;  
 at vobis frustra ipse carens spe brachia tendo  
 atque procul patriae tecta saluto domus.  
 Fata obstare mihi, curas nunc sentio et acres,  
 unde tibi vexans saeva procella fuit,  
 inque tuo cupio portu sic ipse quietem:  
 haec spes de multis jam mihi sola manet!  
 Externae gentes, maesta olim reddite matri,  
 ossa, precor, saltem reddite maesta meae.*

## XI. AD MUSAM

*Multa quidem, Aonidum decus, olim carmina, menti  
 unde erat esca meae, tu, dea, saepe dabas.  
 Tunc primae aetatis fugiebant tempora, floris  
 instar qui circum luce nitente micet;  
 est illam, lacrimis quae nunc fluit uda, secuta,  
 Lethes quae mecum litora muta petit.  
 Te nunc, musa, voco frustra; quae exarserat olim,  
 perstans heu flammae parva favilla manet.  
 Tu quoque cum primo fugisti tempore meque  
 praeteriti memorem pectore, musa, premis.  
 Quae fuerunt recolo, properans sed quae auferet aetas,  
 iam timeo... Ut video quod mihi narrat Amor!...  
 Non his carminibus, quae pauca operosaque finxi,  
 corde dolor refugit; mecum erit usque dolor!*

## XII. SAECULO EXEUNTE

*Quid stas? Jam postrema premit vestigia saeculum  
 atque, ubi iura negant temporis esse, cadit.  
 Quattuor in tenebras vitae id tua lustra silentes  
 portat, quae frigens cingit opaca gelu.  
 Si is vivit multum qui irascitur, angitur, errat,  
 iam tu duxisti tempora longa nimis.  
 Incipe longe aliam vitam doctisque libellis  
 aetas quid fueris postera norit hians.  
 Filius infelix, dejectus amore domoque,  
 asper qui cunctis, asper et ipse tibi,  
 tu, qui, aetate vigens, senior ruga esse videris,  
 quid stas? Vita brevis, longius artis iter!  
 Si quem fata vetant patrare hic grandia, saltem  
 illi aliquod nomen libera scripta ferant.*

Convertit ex brevibus carminibus Hugonis Foscolo:

JOSEPHUS MORABITO

Messanae



# ANGELICO DOCTORI

*Doctorem meritis dicite nobilem;  
Doctorem egregium ad sidera tollite;  
Doctorem celebrate  
Turmis angelicis parem.*

*Assuetisque lyris fundere musicam  
Hymnum suavisonis sic date vocibus,  
Ut cantantibus echo  
Terrarum assonet undique.*

*O Thomas! Validum te juvenum chori  
Patronum vocitent, et tibi munera,  
Longo parta labore,  
Grato pectore deferant.*

*Ornent te celebri laude philosophi,  
Acris qui penetras mentis acumine  
Cunctarum intima rerum:  
Causas perspicias ultimas.*

*Summa te recolant laude theologi,  
Qui verae fidei dogmata comprobas:  
Fortis miles ubique  
Haec defendis ab hostibus.*

*Te vox nostra Dei conditi in Hostia  
Praeconem eximium concinet, utpote  
Qui ejus mystica facta  
Versu pandere noveris.*

*Molli cum citharam pollice temperas  
Velato Domino carmina dividens,  
Quam fragrantia mella  
Nostris cordibus ingeris!*

*Hymnos templa tuos cum sacra personant,  
Coetus christiadum, flantibus organis,  
Tunc Corpus Dei adorat  
Supplex, vertice cernuo.*

*Igni nostra tuo pectora concrema,  
Ut Jesum redament febris amoribus,  
Matrem ejusque Mariam  
Semper fortiter ardeant.*

*Mores virgineos cordaque cerea  
Ephebis tribuas, Doctor amabilis!  
Praeceptoribus altam  
Virtutem atque scientiam.*

*Vires christicolis suffice prosperas,  
Ut possint alacres continuo tuas  
Virtutes imitari  
Et te pressius assequi.*

FR. EUSTASIUS J. MARTIN  
a V. de Columna O. R. S. A.

Lucronii, in Collegio Apostolico Sancti Augustini.

# NOVA ET VETERA

## IN CAMPO ATHLETICAE

In Collegio seu Gymnasio, ubi media litterarum studia prosequor, praeter amplam bibliothecam, praeter libros scholares, quibus vacamus, athleticae<sup>1</sup> campum<sup>2</sup> quoque habemus. Ibi, dum ludimus, campestri<sup>3</sup> tantum et subtili interula<sup>4</sup> utimur.


**I. — 1. athleticae campum** [*campo de deporte - terrain de jeu - campo sportivo - Sportplatz*]: Plinius (*N. H.* 6, 56 (57), 205) memorat Pitheum *athleticam* inventisse. MARIANO habet: «sport: (corporis) exercitationes»; EGGER (*Latinitas* 5 (1957) 118): «athletica»; BACCI (*Lexicon*, s. v.): «ludicra, vel lusoria exercitatio; ludicrae, vel lusoriae corporis exercitationes...»; similia habet COGNASSO (*Il latino* s. v.): «lusus, gymnici lusus, ludi; corporis exercitatio». In hac tamen re enodanda primas tribuendas esse puto Jos. Holzer, doctori Saraludovicensi, qui hanc rem subtiliter pertractavit (*Societas Latina* 6 (1938) 19; (*Palaestra Latina* 2<sup>3</sup> (1953) 48); neque praetereunda sunt quae disseruit G. A. Padberg-Drenkpol, doctor in Rivi Januarii urbe (*Soc. Lat.* 7 (1939) 48), qui «athletismum» —ut Graeci nunc quoque dicunt— vel «rem athleticam» proponit; de qua voce «sport» iterum disputavit G. Lurz, Monacensis, (*Soc. Lat.* 9 (1941) 26), qui, omnibus perpensis argumentisque allatis, auctor est ut «disportum» vulgo adhibeamus, et in vocum indiculo, quem in *Societate Latina* (17 (1952) 1-22) edidit, habet; *sport*: «disportus (*ml.* = vox mediae Latinitatis), athletismus, res athletica»; quas voces Holzer (*Palaestra Latina* 25 (1953) 50) iterum proponit: «res athletica, athletismus, disportus-us», suadet tamen argumentisque commonstrat a voce quae est «disportus» non esse recedendum: «*Ludicras corporis exercitationes*, quae quibusdam placuerunt, nimis puto diffusas esse atque instar habere definitionis. In sermone

autem ad usum commodo quaerimus vocabula fixa, non vagas circumscriptiones. Minus igitur mihi probantur. Sunt enim tantum *Leibesübungen, ejercicios corporales*, nihil ultra. In qua re etiam adjectum «ludicrae» non facit momentum» (*Palaestra L. ibid.*). Et Jo. LAMER (*Palaestra L.* 5 (1935) 129): «*Sport* est sine dubio originis Latinae; nam derivatur a «disportus» (nempe re gymnastica disportantur cogitationes antea in unam rem directae). At «disportus» est vox mediae aevi, id est, sermonis paucis notis. Itaque erant qui vocem neolatinae «sportus» proponerent. Tamen in hac re tuo jure haerere potes. Nam qui Latinitatem mediae aevi didicerint lamentabuntur vocem vere Latinam iniuria mutilari; qui non didicerint mirati interrogabunt cur praefixum sit *di-*».

**2. campum:** in universum ab scriptoribus haec vox admittitur ex similitudine Campi Martii ubi similia ludicra certamina et exercitationes fiebant; sunt tamen qui praeterea «stadium» et «palaestram» accipiant; haec tamen voces propriam habent significationem.

**3. campestri:** [*pantalón de deporte - pantalon de sport - pantaloncini - Turnhose*]: cfr. *Nova et Vetera*, opusc. p. 12 et 14; HOLZER, *Palaestra Latina* 23 (1953) 50; fuit autem «campestre» velamentum quo primum usi sunt Romani, eoque nudi in Campo exercebantur.

**4. interula** [*camiseta-maillot-maglia-Sport-hemd*]: cfr. *Nova et Vetera, ibidem*; Holzer (*Palaestra L., ibidem*) habet: «inducula gymnastica».



I. Sunt alumni quibus *lucta Graeca-Romana*<sup>5</sup> et *luctatio libera* placeat: quo ludo socius ut socium terram umeris contingat nititur. Qui hoc est adeptus, *victoriam* reportat. *Bracchiorum* et *crurum* motus qui *dedita opera* peraguntur ut *adversarius apprehendatur*, *claves* vocantur seu *prehensiones*<sup>6</sup>; *claves* vero sunt modi seu *rationes impetum* in *adversarium* faciendi: quibus *repulsa* seu *impetūs rejectio*<sup>7</sup> opponitur. Mihi sane haec hominum *lucta* semper *inhumana* visa est, quamquam illi, quos ego ita *colluctare* vidi, *artificiose* et *perite* pugnabant. Novi *veteres Graecos* et *Romanos* hujusmodi aut simili *lucta* *delectatos* esse, quam et *Homerus* in *Iliade* (23, 710) commemorat cum *Ajacem* et *Ulixem* pugnantes inducit; fortasse in *museis* *luctatores* *summa arte* factos tu ipse vidisti.

II. Aliud ludendi genus, quo ego exerceor —cum ex *optimis corporis* *exercitationibus* sit: *musculos* enim *robustiores* reddit *viresque* auget— est *saltus*: ludus *elegantior*, qui *maximam membrorum* *agilitatem* secum fert. *Facilior* est *saltus in altum*<sup>8</sup>; *amicos* habeo qui *sesquimētrum*<sup>9</sup> attingant

5. *lucta Graeca-Romana* [*lucha greco-romana* - *lutte gréco-romaine* - *lotta grecoromana* - *Griech.-römischer Ringkampf*]: cfr. EGGER, *Latinitas* 5 (1957) 120; HOLZER, *Soc. Lat.* 6 (1938) 23.

6. *claves, prehensiones* [*llave, presa* - *prise* - *mossa-Griffe*]: cfr. HOLZER, *Soc. Lat.* 6 (1938) 23.

7. *repulsa, impetus rejectio*: ita appellavi *parada, quite* - *contramossa* - *Abwehr*.

II. — 8. *Saltus in altum* [*salto de altura* - *saut en hauteur* - *salto in alto* - *Hochsprung*]: cfr. EGGER, *Latinitas* 5(1957) 119.

9. *sesquimētrum* [*metro y medio* - *mètre et demi* - *un metro e mezzo* - *eineinhalb Meter*]: novum verbum induxi, quod cum compositis, ab optimis scriptoribus adhibitis congruit, nam «sesqui» toti rei dimidium addit: «sesquihora» est una hora cum dimidia; «sesquipes» est mensura pedis et dimidium. Neque vero est

altitudinis; sollertia tamen in saliendo modo opus est, nam non recto corpore<sup>10</sup>, sed a latere<sup>11</sup> vel in latus inclinatus fere exsilias oportet.

Vidi etiam socios in eculeum<sup>12</sup> insilire aut saltu in longitudinem contendere<sup>13</sup>, qui, ut longius transgrediantur, desultorium<sup>14</sup> adhibent. Mihi tamen parum probatur saltus perticarius<sup>15</sup> sive in altum, sive in longitudinem: quanquam hujusmodi sociorum exercitationes inspiciens magnopere oblector.

III. Aestate maxima voluptate afficio cum natationi indulgeo: a puero omnibus modis natate didici; a latere<sup>16</sup>, supinus<sup>17</sup>, brachiiis contendens<sup>18</sup>,

cur in adhibendo «metro» anxia religione praepediamur, «metrum enim, graece μέτρον est decem milles millesima pars meridiani terrestri quadrantis sive distantiae poli a linea aequatoriali. Quae pars proprio sensu appellata est «metrum» ut cardinalis sive principalis mensura linearis» (G. LURZ, *Per lo studio e l'uso del latino*, 4 (1943) 82). — Haec de cumana numerandi ratio apud omnes fere gentes nostra aetate usurpatur; ut autem novam vocem *metrum* vitemus — et ab hoc derivata «chilometrum, hecatometrum, decametrum, decimetrum», cet. — ne recedamus ad veterem Romanorum numerandi modum et «passum, pedem, palmum, stadium, duo cubitos, (= metrum), transversum unguem (= ad milimetrum)» his temporibus, quibus res summa diligentia dimetitur, adhibeamus: cum nos metricam rationem, quam avi nostri usurparunt, mente vix retinere possimus: neque tamen ineleganter minusque pure quam illis nostra loquimur lingua.

10. **recto corpore** [*de frente - de face - Spreizstil?*].

11. **[saltus] a latere** [*salto de lado, lateral - saut latéral - Rollstil*].

12. **[saltus eculei], in eculeum insilire** [*salto de caballo - saut du cheval - salto al caballo - Pferdlängssprung*]: cfr. EGGER, *Latinitas* 5 (1957) 120; HOLZER (*Soc. Lat.* 6 (19 8) 22) habet: «caballus».

13. **[saltus in longitudinem], saltu in longitudinem contendere** [*salto de profundi-*

*dad - saut en longueur - salto in lungo - Weitsprung*].

14. **desultorium** [*trampolin - tremplin - trampolino - Sprungbrett*]: cfr. EGGER (*Latinitas, ibid.* p. 123) habet: «suggestus desultorius»: qui mihi visus est in «desultorium II» simpliciter converti posse. — WAGNER, *Dictionarium Hungarico-Latinum* s. v. *ugrosáng*: «pultum desiliendi».

15. **saltus perticarius** [*salto con pértiga - saut à la perche - salto con l'asta - Stabhochsprung*]: cfr. EGGER, *Latinitas, ibid.* p. 119; HOLZER, (*Soc. Lat.* 6 (1938) 22): «contomonobolon, assis saltui augendo» (cfr. WAGNER, s. v. *ugrodeska*).

III. — 16. **[natatio], natate a latere** [*natación de lado, a la marinera - nage à la manière - nuoto a la marinaia - Seitenschwimmen*]: cfr. HOLZER, (*Soc. Lat.* 6 (1938) 23): «lateris natatio, latere natate»; quem nandi modum Egger (*Latinitas, ibid.* p. 123) his verbis significare videtur: «alii corpora in obliquum flectentes».

17. **natate supinus** [*natación de espalda - nage sur le dos - nuoto sul dorso - Rückenschwimmen*]: EGGER, *ibid.*; HOLZER, *Soc. Lat.*, *ibid.*: «dorsi, tergi natatio; dorso, tergo natate».

18. **brachiiis contendens** [*natación a la brazza, nadar sobre el pecho - nage à la brasse - nuoto a rana - Brustschwimmen*]: EGGER, *Latinitas, ibid.*: «alii excussa brachia jactantes»; HOLZER, *Soc. Lat.*, *ibid.*: «natatio pectoralis; pectore natate».

ac varios projiciendi in aquam modos adhibeo, in qua vel supinūs planus<sup>19</sup> et tergo incumbens immotus maneo; saepe etiam in altitudinem aquae immergor ita ut urinari audeam et illis hominibus, qui spelaeologi<sup>20</sup> dicuntur aut ranis similes fiunt eoque nomine apud nos appellantur, et ego similis sim; aliquando uno alterove minuto<sup>21</sup> in aqua immersus mansi.

IV. Disci jactus<sup>22</sup> in antiquissimis ludis et certaminibus habetur; vel ipsum Homerum memini hunc ludum inter Graecorum ludos (*Odys.* 8, 186) commemorare. Haec exercitatio brachia et pectoris musculos firmat roboratque; sed ut victor ex eo discedas non tantum viribus opus est, sed etiam sollertia ut discum procul projicias.

19. **supinus planus maneo** [*flotación en plancha - flotation en planche - «fare il morto» - «nuoto a morto» - «Toter Mann»*].

20. **spelaeologi** [*speleólogo - spéléologue - speleologo - Höhlenforscher*]: a vocibus Graecis *σπήλαιον*, *specus* et *λόγος*, *sermo*, *verbum*; qua simplici voce ii homines appellari possunt qui specus cavernasque inquirunt atque perlostrant, (quoniam «spelaeologiae studiosos, peritos» eos nominare necesse sit), ut «theologum, philosophum, phytologum» tantum dicimus.

21. **minuto** [*minuto - minute - minuto primo - Minute*]: quo modo latine vocem Hispanicam *minuto* reddendam putem, alias exposui (*Palaestra* L. 26 (1946) 26) Qua in re probe investiganda apteque solvenda in mentem revocare oportet commentationem G. Lurz, Moderatoris olim *Societatis Latinae Monacensis*, qui «de mensuris ponderibusque» docte et acute scripsit (cfr. *Per lo studio e l'uso del latino* 4 (1943) et *Palaestra* L. 16 (1-36) 164-165), qui «minutam et secundam partem» proposuit adhibendam Graecos imitatus qui «partem minutam primam» dicunt *πρῶτον* (*λεπτόν*) et «partem minutam secundam» *δευτερόλεπτον*: eo quod «in Claudii Ptolemaei systemate sexagesimali *μοῖρα* nominatur trecentesima sexagesima pars circuli; pro *μοῖρα* Latini usurpant nomina *pars* et *gradus*. — *Minutam* vero *partem* et *secundam*, simpliciter, ommissa *parte*, efferri posse censet Dr. Lurz ut Angli, Galli, Hispani, Germani fecerunt: «Quae cum ita sint, non dubitandum esse putavim, quin Latine quoque sexagesima minutae pars se-

cunda sine ullo additamento [dici possit]. «Punctum temporis, momentum temporis, momentum secundum, secundum temporis» atque, quae hic et illic occurrunt, nonne minus probanda esse videntur?». *Minuta* autem et *secunda* ex his sunt verbis quorum genus anceps multis erit doctis viris (cfr. LAMER, *Palaestra* L. 5 (1935) 129: «anilina - anilinum, aspirina - aspirinum»; cfr. etiam MUR, *Helmantica*, 18 (1954) 389); nam ut «pars», ita et «tempus» subaudiri facile potest; nobisque suffragatur Breviarium Romanum in quo sub indice «De anno et ejus partibus» saepe *minutum* adhibetur: «Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua *minuta* deficiant. Ex quorum *minutorum* neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas...». — Ex quibus efficitur optime latine *minutum* dici posse — cum in ea anni explicatione pura adhibeatur Latinitas —; iisdemque innixi rationibus et *secundum* usurpabimus. Evellamus igitur ex animo scrupulum haec verba adhibendi neque ad «temporis momentum punctumque» — quae sunt voces incertae ac dubiae — pro *minuto* et *secundo*, quae rem innuunt satis «definitam et certam» qua horas diligentissime dimetimur, confugiamus. Ceterum, *minutum* et *secundum* haberi possunt ut voces technicae ut aliae quamplurimae

22. **disci jactus** [*lanzamiento de disco - lancement du disque - lancio del disco - Discuswerfen*]: cfr. EGGER, *Latinitas* 5 (1957) 119.

V. Aliud disportus<sup>23</sup> genus est pedibus ambulare et cursus conficere<sup>24</sup>; praecipuus est cursus velocitatis saepimentis interpositis percurrendus<sup>25</sup>; alius est cursus centum et decem metrorum, alius ducentorum, tertius vero quadringentorum, in quibus saepimenta novem, quindecim, quinque et triginta metra inter se distant, eaque impedimenta altitudinis habent metrum et sexaginta centimetra aut nonaginta tantum centimetra. Ego vero breviori cursu<sup>26</sup> velocitatis C metrûm sum exercitatus, in quo saepius uno minuto metam attingi et praemia haud ignobilia in certaminibus reportavi. Sed in longiore<sup>27</sup> et longissimo cursu<sup>28</sup> nondum victoriam sum assecutus, in quo praeter pernicitatem, magna crurum laterumque firmitate opus est.

23. **disportus**, cfr. supra sub 1.

24. **pedibus cursus conficere** [*hacer una carrera a pie - (faire) une course - corso a piedi - Lauf*]: cfr. EGGER, *Latinitas*, *ibid.* p. 118: «pedibus ambulans... viam... confecit».

25. **cursus velocitatis saepimentis (impedimentis) interpositis percurrendus** [*carrera de velocidad con obstáculos - course d'obstacles - corsa agli ostacoli - Hürdenlauf*]: cfr. EGGER, *Latinitas*, (1957) 119: «saepimenta per intervalla... disposita transiliit.»

26. **breviore cursu velocitatis C metrûm** [*carrera corta de velocidad a 100 m. - course à parcours réduit - corsa ai cento metri - Kurzstreckenlauf*].

27. **longiore cursu (velocitatis)** [*carrera de medio fondo - course à parcours moyen - Mittelstreckenlauf*].

28. **longissimo cursu** [*carrera de fondo - course à parcours long - Langstreckenlauf*].

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

---

## CORRIGE

n. 160	p. 250	col. 2. <sup>a</sup>	lin. 2	<i>impudens</i>	in	« <i>impudens</i> »
n. 160	p. 252		lin. 4	<i>explodere</i>	in	« <i>dehiscere</i> »
n. 161	p. 266		lin. 32	<i>affuit</i>	in	« <i>abfuit</i> »
n. 161	p. 268		lin. 23	<i>primus</i>	in	« <i>primum</i> »
n. 161	p. 274		lin. 29	(initio adde):	«certum id quidem, sed meliora quae ipse subicit»:	

Alia facile corriget benevolus lector.

# AMICI ET SOCII EPISTULAS DANT

In conventu Avennico id actum est, idque adstantibus est persuasum ut cum amicis lingua colloqueremur Latina, atque ad socios, quibuscum consuetudine et amicitia jungimur, epistulas latine scriptas daremus, quo manifesto omnibus commonstraretur linguam Latinam nullo modo elanguidam mortuamve jacere, sed apud eruditos litteratosque viros potissimum firma constantique vita etiam nunc florere. Quod autem in illo amplissimo virorum coetu propositum est, id usu a multis est comprobatum, multaque privata ac domestica negotia lingua Latina inter amicos agitantur, sed praecipue res quae ad disciplinas et ad novas rerum inventiones pertinent. Quod ut liquido pateat, ex magno epistularum acervo, quae ad horum commentariorum sedem saepissime perferuntur, aliquot tantum desumimus: quibus et rem gratam legentibus nos facturos arbitramur, iisque specimina etiam praebeamus quibus et ipsi cum amicis res suas latine agitent atque evolvant.

Primum epistulas evulgamus quibus non nihil gloriolae tribuitur, seu ut verius dicam, animus additur nobis ut in opere suscepto prosequamur (I); deinde eas quae ad disciplinam nostram pertinent, in quibus de novis vocibus conformandis inducendisque aut de aptioribus locutionibus ad rem aliquam latine exprimentam adhibendis agitur (II).

I. — Accepi pridie non. Januar. commentariorum exemplum, quod ad me misisti. Omnia perlibenter legi: tam enim gravia et utilia, tam grata etiam atque jucunda sunt ea quae ibi continentur. «Palaestra quoque adolescentium», delectatus sum. Quare, ut antea, sic nunc gratulor vobis, clarissimi doctores, qui tam egregie litteras colere Latinas et linguae Latinae tradendae tantum operae studiorumque dare soleatis.

Tibi Barbastrensibusque et doctoribus et alumnis (quos non solum Latini sermonis video studiosos esse, sed etiam facetiarum salseque dictorum, cum alios tum Antonium Franco; nam mense decembri et ego «grippicam» contagionem contraxi putabamque id moleste ferre discipulos meos..) ut hoc anno omnia prospere eveniant, opto precorque. (*Brixia, ALBERTUS ALBERTINI*).

Vix verbis dicere possum qua delectatione quoque gaudio memet tuae litterae affecerint... At demum mihi occasio oblata est amicitiae fungendi officio. En adsum igitur ut in primis tibi declarem magna cum assiduitate me commentarios legisse tuos, ex eisque maximam percepisse voluptatem. Ii enim et graves et venusti et lepidi sunt, iique ipsius Latinitatis vox mihi esse videntur, quippe qui lampada, ut ita dicam, susceperint, qua iter collustretur iis qui ad bonam frugem sese recipere velint, quod ad Latini sermonis usum restituendum et ad Latinitatem fovendam atque fulciendam pertinet. (*Frusinone*).

Et abhinc dies tres quattuorve advenit PALAESTRAE ipsius nova editio — etiam melior lepidiorque — si id fieri potest — editionibus suis praecedentibus; quandocunque libellum istum perlego, miror quem ad modum tu et conlegae tui tantam excellentiam Latinitatis leporisque semper exerceatis. Vobis ex animo gratulor — invideoque! (*Datae ad Blackpool*).

Heri accepi litteras datas prius quam PALAESTRAE exemplar pervenisset Romam, sed post acceptam orationem ad M. Tullium. Quibus in litteris haec sunt: Tuam «Ad M. Tullium Ciceronem orationem», cujus tam benevole exemplaria nobis misisti, non mediocri gaudio nos omnes affecit, quin etiam vera aviditate omnes tuam elucubrationem legimus. Et certe verissima sunt quae scribis de Tullio. Tertio anno lycei legendo libros quibus titulus «De Officiis» saepe facere non possum, quin consistam exclamando: Nonne Tullius nobis proponit et inculcat sensum vere christianum? — Tot inter commemorationes factas ad alterum a caede Tullii millenarium nullam invenies majore cum amore et ardore dissertam quam tuam. Ex animo tibi gratulamur. Quam festivus Tullius te excipiet, cum tu quondam sedem quaeres in illo regno superno, in quo ille jam per saecula fulget, praeco sensus Christiani. Quam dulcia et jucunda colloquia cum illo miscebis!». Et haec quidem amici verba sunt. Utrique nostrum, opinor, jucundum est animadvertere Ciceronis placere non nobis solis linguam. Et illud gaudeo, quod in mentem venerat ipsum alloqui Ciceronem in festivo conventu, in quo non locus erat vituperationibus et ubi ea quoque tangi poterant, quae cogitet de «antiquo pagano» homo Christianus. (*Tyrinutis, AVENARIUS*).

II. — Magister quondam meus, qui nunc septuaginta octogintaive annos natus est, rescripsit magnis laudibus munera officiaque sacerdotum Claretianorum de lingua Latina optime meritorum extollenda esse. «Unde», inquit, «insuper periculum imminet, ne, quo plura facis verba, eo saepius contra praecepta grammaticae pecces, velut Tu scribis (linea 8) «epistula delata», cum scribendum esset «allata». De pellicula autem «sonigera» me interrogavit his verbis: «Sed cur non dicis «pellicula sonans?» Respondi ei haec: «Pelliculam ea de causa cunctatus sum dicere sonantem, quod per se non sonat, sed tantummodo machinamento adhibito soni mechanice vel technice conservati eliciuntur, ut ita dicam, et audibiles fiunt. Nihilominus mihi persuasi hanc rem ab aliis aliter judicari posse». Respondit se non id studuisse, ut verbis mecum de pellicula aut «sonigera» aut «sonanti» contenderet, sed se putavisse talem pelliculam «sonare» simpliciter, unde *sonantem* dicendam, pariter eos quoque, qui spectarent, arbitratos, sonos ex linteo extento editos esse. Denique addit haec: «Sic aliquando lexicon novae Latinitatis evulgari poterit. Deleo, quod tunc temporis non jam victurus sum». (*Monacho, P. CAELESTIS EICHENSEER*).



Cui responsum est: «Peropportune accidit quod his diebus ad me scripsisti. Et primum de iis quae in epistula tua. Magistrum illum tuum latine loquitur idque rectissime cum «litteras, epistulam deferri» scribit, ut veteres dixerunt (cfr. CAES. B. G. 5, 45, 1-3: «Litterae mittebantur...; litteras ad Caesarem deferat»). Sed non minus latine eos locuturos dixeris —ita mihi videtur— qui «afferre litteras» adhibent (cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus: «Mihi oder ad me litteras attulit»*).

Non te *sonigeram* vocare pelliculam prohibebo, ut superiore epistula dixi. Nunc autem re diutius perpensa placet etiam pellicula *sonans*; nam ab hac voce primum recesseram cum participia praesentia raro adjectiva devenisse intellegerem, sed cum Tullius «verba sonantiora» adhibeat (*Part. orat.* 5, 17), in posterum eam vocem in usum induci posse censeo». (*Barbastro*, MODERATOR).

Et iterum P. CAELESIS: De litteris autem mittendis vel accipiendis disserere jam aggressus, aliam rem ut notem, quaeso, permittar. Nam in fasciculis PALAESTRAE LATINAE haud ita recte scribi solet: *Epistularum inter socios commercium*, ubi hunc fere in modum res, de qua agitur, verbis exprimenda est: «Epistulae sociorum missae et allatae» (vel: «Epistulae datae et acceptae, epistulae datae et redditae», vel similiter). «Commercio enim litterarum» ipsa actio, qua epistulae mittuntur et afferuntur, significatur, non id, quod litteris epistulisve redditis refertur. Est igitur fere idem, quod ab Hieronymo dicitur «vicissitudo litterarum» (*epist.* 8, *initio*). Liber autem is, ex quo cognovi ita scribendum esse, hic est: Müller, Iwan, *Karl Friedrich von Nägelsbach's Lateinische Stilistik* 9, Nürnberg, 1905.

§ 35 (pag. 1-6): *Briefwechsel*: omne desiderium litteris mittendis accipiendisque lenire Cic. *famil.* 15, 21, 5; ex litteris nostris et missis et allatis Fontej 8, 18; ex Cn. Pompeji litteris ad Hypsaem et Hypsaet ad Pompejum missis Flacc. 9, 20; *aber*: «commercium epistularum» SENEC. *epist.* 38, 1; «commercia epis-

tularum» VELL. 2, 65, 1 bezeichnet nur den brieflichen Austausch oder Verkehr selbst, niemals die durch denselben entstehenden Briefe, so wenig wie «officium litterarum».

*Briefwechsel* im Sinne von Büchern, in denen ein Briefwechsel enthalten ist, libri litterarum missarum et allatarum.

De hac re quod certior fieri volui «*Thesaurum linguae Latinae*» consului, ubi hos locos collectos reperi:

VELL. 2, 65, 1: Tum inter eum Caesaremque et Antonium commercia epistularum et condicionum.

SEN. *epist.* 38, 1 (ed. Hense, Lipsiae 1914): Merito exigit, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus

ENNOD. *epist.* 32, 1 (CSEL 6, 94, 16): Alii affectum, quem mente nesciunt, ore testantur et pingunt inlecebrosis epistularum momenta

commerciis, quando tertatis penetralibus amor totus in lingua est nec aliud ad interiora perducitur, nisi quantum in scriptone confertur.

*Epist.* 36, 2 (CSEL 6, 233, 20): domine, ut supra salutationis gratiam persolvens spero, ut crebro ad me epistularum commercia dirigas, quia in his munitis et diligentia te admonet et perfectio ut multus incumbas (THLL. III 187b, 48-50).

Alii loci non exstare videntur. Sed haec, quae de commercii nomine epistularum commemoravi recte usurpando, nolim in malam partem accipias.

Ea denique, quae de pellicula «sonanti» scribis, mihi non displicent, cum ipsum verbum sonandi et passive, uti ajunt, et active (vel transitive) usurpetur. Nōlim autem moleste feras, quod adjectivum «soniger -era -erum» mihi placere non destitit». (Monacho, P. CAELESTIS).

*Ad quem sic est rescriptum:* «Superiore epistula aperte sententiam dixeram: «Non te prohibebo *sonigeram* vocare pelliculam»...».

Veniamus nunc ad ea quae ponderanda et expendenda sunt. Quoddam subtile discrimen inter verbum *afferendi* et *deferendi* reperiri non negabo. Illud autem discrimen ita mihi visus sum percipere: *defertur* id quod *per alium* seu *ab alio* ad aliquem traditur (cfr. «Hic servo persuadet ut ad Caesarem litteras deferat», CAES. B. G. 5, 45, 3); litterae igitur ad Caesarem deferuntur *a servo*. Forcellinius habet: *deferre* (II translate) generatim est aliquo aliquid ferre, *afferre*; «*afferre* est ferre ad aliquem», BARRAULT (*Traité des Synonymes de la langue latine*, Paris, 1853, p. 189) habet: «porter dans un lieu ou simplement à une personne», quo a simplici verbo *ferendi* parum differre videtur. Tu «*Thesaurum*» inspicere poteris et, locos quibus illud discrimen clarius significetur, investigare.

Ex quo, sententiam cl. v. J. Marouzeau de synonymis considerandam esse magnique habendam intellego: «Et les lexiques comparés, qui, comme l'*Antibarbarus*, prétendent délimiter les sens par le jeu de la synonymie, n'aboutissent souvent, à force de distinctions, qu'à augmenter l'incertitude première (*Stylistique latine*<sup>2</sup>, 1946, p. 141; qui eadem fere refert in libro *La formation du latin littéraire*, cum de vocabulario agit, p. 57). — Quod si aliter de re sentis, aperte et ingenuè sententiam exprome.

De locutione vero illa quae est *commercium epistularum* non omnes in eandem convenire sententiam certo sciebam, et ideo quod prius *commercium epistulare* dicebamus, in nova edendae PALAESTRAE LATINAE ratione in «*Epistularum inter socios commercium*» commutavimus. Rem autem declarari et exponi ratione parum diversa intellego a KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, quam tu ex Müller... Latina stilistica exscribis.

Ceterum BACCI, MARIANO, GEORGES, auctores haud suspectae sed purae Latinitatis sine ulla sensuum distinctione *commercium epistularum* aut *litterarum* admittunt et adhibenda proponunt: «*epistularum commercium*»: *correspondenza epistolare*.

In lucubratione, quam misisti, de *Theodisca* est sermo; quid haec vox valet? (*Barbastro*, MODERATOR).

*Et iterum P. Caelestis scribit:* ... «Ante paucos dies novi commentarii Avenionenses, qui inscribuntur VITA LATINA, mihi allati sunt, sed nescio, quo auctore. Ibi confrater quidam tuus nonnulla de litterarum appellatione necessario ad aetatem, quae dicitur, auream revocanda, qua re tandem unitas

jam dudum deprehendatur, conscripsit. Maxime gavisus sum quod idem sentit quod ego, atque id ea potissimum de causa, quod jam complures Vestrae Congregationis Missionales eandem sententiam saluberrimam protulerunt. Deo igitur opitulante hanc quoque metam attingemus.

Ceterum in locum «commercii epistularis» fortasse substitui potest hic index etiam simplicissimus: «Epistulae redditae».

Redditae sunt mihi hodie litterae tuae, qua es comitate, jucundissimae, pro quibus ex animo gratias quam maximas tibi ago . . . . Tamen rem ipsam occasione data tuis discrimenibus subtiliter propositis melius diligentiusque perquiram. Idem de «commercio epistularum...».

Adjectivum autem, quod est *theodiscus*, - a, - um, in monumento omnium vetustissimo scriptum invenitur, quo primum id significatur et Latine redditur, quod nobis est *deutsch* vel unde natum est, quod nunc est *deutsch*.

Modo ope sodalis cujusdam primum locum repperi, ubi «theodiscus» legitur:

«tam latine, quam theodisce, quo omnes intelligere possent». *Monumenta Germaniae Historica, Epist. 4, 28*; cf. KLUGE-GÖTZE, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*, 16. Aufl., Berlin 1953, pag. 132). (P. CAELESTIS).

Cum autem PALAESTRA vestra multis de causis linguae Latinae viventis praeco jure sit habenda, aliquid ei conferre posse confido opusculum meum, cum in eo de aetatis nostrae rebus agatur. Nonnulla praeterea verba a me ficta invenies: sed, ut omittam cetera, quae facilia sunt intellectu et paene ad litteras de nostro vel alieno sermone translata, illud, quaeso, animaverte AERISHAURITOREM quo verbo hujusce temporis machinam dicere volui, quae Italice *turnoreattore* vel *apparechio a reazione* appellatur. Acutissimo judicio tuo rem permitto. Novi equidem Antonium Bacci illum, verborum inventorem exquisitissimum, in lexico suo ad idem dicendum jam «*navigium inversa vi*» vel «*contraria vi propulsum*» proposuisse. At non pluribus verbis rem ego dicere, sed uno verbo malui. Quodsi verbum minime probas, id tamen expunge, in ejusque locum, sis, subde aliud verbum, quod aptum et consentaneum tibi videatur (FRUSINONE, A. P.)

Disputatio tua de patinis coruscantibus seu volantibus mense Decembri, quod ejus fieri poterit, typis excudetur; quam celeriter legi, et sunt sane de quibus postea ad te scribere animum induxi; quod opportuno tempore, juvante Deo, fiet. Voculam tamen illam *aerishauritorem*, ego, si me consulis, in *aerishaustorem* aut melius *aerishaustorem* commutarem; nam quamquam lexica *hauritorem*, uno exemplo, praebeant, tamen vox esse videtur minus Latine conformata, cum hujusmodi vocabula in -tor, -trix exeuntia a participiis progigni noverimus; in lexicis *haustorem* majore exemplorum copia facile invenies.

De laudibus, quas PAL. LAT. tribuisti, gratiam habeo maximam; utinam verbis tuis sit digna et ita incedat ut a gravitate linguae Latinae non recedat et omnium animos suavitate et venustate alliciat (*Barbastro*, MODERATOR).

# PER ORBEM

**A Cicerone occiso bis millesima Commemoratio:** Accepimus ubique terrarum viros humanarum litterarum studiosos diligenter parari ut Ciceronis memoriam, anno bis millesimo ex quo occisus est vertente, excolant et celebrent. Multi scriptores in commentariis verba jam fecerunt de Cicerone, vel facient, quem oratorem, politicum, hominem, scriptorem, philosophum considerant. Commentationes omnes qui collegerit optima sane de Cicerone anthologica se collecturum aestimet. Nam etsi earum non nullae nihil vel parum addant novi, multas invenias quae nova luce Ciceronis vitam, scripta, facta perfundant.

In Instituto Romanis Studiis provehendis una cum Consilio Studiis Ciceronianis fovendis (*Centro di Studi Ciceroniani*), clarissimi doctores memoriam «Patris Patriae» summis studiis efferent et agitabunt. Nam Prof. Hyginus FUNAIOLI de Ciceronis universalitate disputabit, Prof. Vincentius ARANGIO RUIZ jurisperitum, Vergilius PALADINI hominem ejusque aetatem, Felix BATTAGLIA virum sapientem, J. B. PIGHI scriptorem, Camillus CORSANEGO oratorem, Hamletus TONDINI Ciceronis Latinitatem, Hector PARATORE Ciceronem volventibus saeculis considerabunt, praebebunt, commonstrabunt.

**Anniversaria Commemoratio in Scholis:** Opportunum hoc vertente anno videbitur alumnos excitare ut Ciceronis memoriam pro viribus colant et honoribus prosequantur, ejusque vitam et scripta investigent, libros mirabiliter scriptos legant et degustent, in scaenam illius orationes et acta inducant, alia ejusmodi peragant. Alumni qui semel consuetudinem cum magno viro habuerint, Latinitati veterumque cultui ardenti studio vacabunt. In hoc Seminario Claretiano, —ubi haec scribo— quo die bis millesimus ab occisione vertebat anniversarius, alumni in scaenam Latine deduxerunt Ciceronis in Catilinam actionem, quam perfectiorem politioemque rursus inducent nonis Martiis, quo die Divi Thomae Aquinatis agitur memoria. In Seminario Claretiano Celsonensi (*Selsena*) alumnos qui philosophiae vacant eodem die Ciceronis memoriam culturos accepimus.

**Commemoratio Ovidiana:** Hoc etiam anno bis millesimus recolitur ab Ovidio poeta nato anniversarius. Ad praesens tempus non multa acta vel agenda accepimus; Cl. vir J. HERESCU librum quem promiserat OVIDIANA, ut superioribus fasciculis nuntiaveramus, evulgavit.

In Instituto Studiis Romanis provehendis Prof. Franciscus ARNALDI de Ovidio universe disseret, Prof. vero Josephus LUGLI commentarium topo-

graphicum in eleanorum TRISTIUM carmen I libri tertii faciet. Prof. denique Nicolaus LASCU de fortuna Ovidii ab aetate renatarum litterarum appellata ad nostram usque aetatem disputabit.

### Institutum Studiis Romanis provehendis:

Hoc Institutum quod quam maxime Romanarum rerum studia fovet ac promovet, aperuit hoc etiam anno Cursus disputationum (*Corsi di lezioni*) annuos, quorum omnibus liber aditus et gratuitus patet. Qui cursus archaeologiam christianam, historiam Ecclesiae, historiam artis, Romae historiam in monumentis, Romam hodiernam complectuntur. Petrus ROMANELLI disputationes habebit de agrī cultura, de colonorum advectione in Ita-

liam et in Provincias, de rei agrariae administratione ac dispensatione Imperii temporibus. Camillus CORSANEGO autem disputabit de litteris Juridicis Romanis (*letteratura giuridica Romana*), de illo maximo eloquentiae specimine et forma quae est in Q. Caecilio *divinatione*, et de Actione in Verrem. Alia attingent doctores Henricus JOSI, Paulus BREZZI, Aemilius LAVAGNINO, Valerius MARIANI, Marius RIVOSECHI, Renzo U. MONTINI, Joannes GIGLIOZZI.

**Studia classica apud Hispanos:** Adulescentuli Hispani ante annum MDCCCCLIII per septem annos in schola media litteris sicientiisque vacantes, septem etiam annos linguae Latinae vacabant. Sed —pro dolor!— etsi pueri studebant, linguam Latinam vel non discebant, vel quam didicissent statim oblivioni dabant. (Res miranda sane: linguam Latinam tantum oblivioni dari, non vero Mathematica neque historiam, neque geographiam...). Causis investigatis riteque perpensis, visum est omnibus (non Societati Hispanicae Studiis Classicis provehendis, non viris harum rerum peritis) cum pueri nimium vacassent linguae Latinae, multo efficacius fore non septem, sed tres annos in ea ediscenda impendere. Nam quo minus tempus in rebus inutilibus et oblivioni dandis teratur majus spatium rebus utilioribus remanebit (!).

Quare in posterum pueri haec discent: Tertio anno scholae mediae pueri sex horas (seu melius per sex «unitates didacticas», quae horam cum quadrante comprehendunt) in hebdomada primum Latinae linguae vacabunt, quibus horis morphologiae et syntaxeos rudimenta ediscent; quarto vero anno per tres horas, ubi jam Phaedrum et Eutropium et Nepotem interpretari licebit. Quinto anno alumni qui litteris studere animum induxerint (non vero qui scientiis), sex horas linguae Latinae dabunt operam et excerpta quaedam e Caesare, Sallustio, Cicerone, Vergilio degustare poterunt. Et tandem linguae Graecae studebunt per quattuor horas. Sexto anno «litterati» pueri syntaxin Graecam per totidem ho-

ras percurrent. (At —quod mirandum mihi sane videtur— nullus scriptor Graecus legendus aut interpretandus proponitur)...

Linguae vero Latinae tres horae tribuuntur, quibus metricae quaedam levissimae notiones tradantur. —Hoc etiam anno omnes vacare debebunt litterarum historiae discendae, Litterarum vero historia his finibus continebitur: Graeca epica poemata, lyrica Graeca: Pindarus; Tragoedia et comoedia Graeca; theatrum Romanorum; maximi Poetae Romani: Vergilius et Ovidius. Historia classica. Oratoria classica: Demosthenes, Cicero. Philosophia classica: Plato, Seneca... —Haec omnia «quaestionaria», quae dicuntur, comprehendunt.

Lectores ipsi iudicium de re proferant. Id vero affirmare possumus, litteras et studia classica apud nostrates maxime esse regressa, opera praeser-

tim eorum qui rerum utilitates quaerunt et technicos prae primis, potius quam homines quaeritare videntur. Sed qui Hispaniam magnam volunt et liberam, Hispanos volunt intentiores artibus liberalibus quam illis quae in usu et exercitatione sunt posita. Nonne jam similes filio Albini videbimur, quem Horatius memorat? Et tamen:

«Grajts ingenium, Grajts dedit ore rotundo  
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris... (De Art. poët. 323 344)  
At haec animos aerugo et cura peculi  
cum semel imbuerit, speramus carmina fingi  
posse linenda cedro, et levi servanda cupresso? (Ib. 330-333).

Hoc tamen novae legi laudi est tribuendum, alumnos illos qui linguae Latinae studio non vacaverint, aditu in superiora studia Litteraria et juridica intercludi. Qui ergo Litteras et Jus in Universitate persequi voluerit, linguam Latinam discat oportebit. Qua ex parte removeri videtur periculum ne lingua Latina penitus reiciatur, quod sane pertimescendum erat si ejus scientia atque ignorantia juxta haberentur. Ex nova tamen lege experimento patuit maxime minuisse alumnorum frequentiam juris studiosorum in Universitate Matritensi.

**Fabula ficta?** — Hanc narrationem, quae fabula ficta videatur, cum sit res gesta, illis narrabo qui Latinitati obsistunt quod plane mortua sit et prorsus inutilis. Italus quondam diurnarius scriptor, in urbe quadam Russica (*Tiflis*) cum esset, bulgam amissam tum quaeritabat cum tramen in eo erat ut stationem relinqueret. Lingua usus occidentali vehementer suum flagitabat, gestu significabat, iratus exquirebat. Frustra tentabat rem: ferriviarii enim operarii nullum intellegebant verbum. Cum jam sese tramine relictum fere videret, extrema periclitatus, meminit se olim linguae vacasse Latinae, et: «*Impedimenta mea, impedimenta mea*» Latine magna voce clamavit. Statim alius ferriviarius, re intellecta, bulgam diurnario tradidit. Olim enim ipse quoque in seminario, ut in schola media diurnarius, ante rerum omnium eversiones, linguae Latinae rudimenta didicerat. — Nonne tandem aliquando argumentum invenimus quo pateat linguam Latinam utilem esse? At fieri potest ut qui illa argumenta, rejiciunt quae in cultu et humanitate fulciuntur, hac brevi narratione convincantur?

**Lingua Latina Lingua difficilis?** — Qui vero linguae Latinae adversantur quod difficilior ad addiscendum, hanc legant epistulam a viro Brasiliensi nobis nuperrime datam:...

«Lingua Latina ut sermo vivus et vivax ad me pertinet... Nam et ego ipse linguae Latinae quidem sine magistro studeo. Et sine ulla dubitatione lingua Latina quivis loqui potest ut alia lingua 'viva'. Dicitur lingua Latina diffi-

lis esse. Est profecto, sed non difficilior quam altae linguae, et multis facilior. Non est tam difficile Latine quam Francogallice, et Germanice, multo facilius quam Polonice loqui, hodiernis linguis. Omnes linguae difficiles sunt,

si quis eleganter loqui 'volt'. Lingua enim Latina, ut puto, profecto nullo modo demortua est Non est sane sermo vulgaris, non in ore

versatur rudis vulgi, sed apud doctos etiamnum vivit, quamquam, eheu! marcescens.»...

Quis hunc virum autodidactum suoque Marte eruditum totis non laudet viribus?

**Lexica Hispanica:** Apud Hispanos verborum indices etymologici et studia lexicographica jam diu invaluisse videntur si e variis lexicis nuper editis liceat argumentum ducere. Joannes COROMINAS in Officina Libraria GREDOS edidit quartum volumen magni operis *Diccionario crítico etimológico de la lengua Castellana*, quo verba sub litteris *ri* ad *z* continentur. In eo quoque apponuntur addenda et corrigenda et indices valde completi, ubi colliguntur verba Hispanica ab alienis linguis derivata vel cum eis arte conjuncta.

Magnum sane assiduitatis et laboris opus horum voluminum quattuor compositio, per annos fere decem productum (praeter annos XXV saltem in materiis quaerendis, colligendis, conferendis, digerendis consumptos), a

mense aprili 1947 ad m. novembrem a. 1951. Anno 1957 m. martio addita sunt addenda et corrigenda. Totum opus his absolvitur verbis Latinis:

«Corporis atque animi sacrum sit manibu' patris  
Patria cantantis, quod scripsi peregre».

Etiam V. GARCIA DE DIEGO librum edidit cui est index: *Diccionario Etimológico español e hispánico*. Quo in lexico non modo unde verba Hispanicae linguae deductae sint enodatur, sed etiam unde verba aliarum linguarum quae Hispanis usui sunt originem ducant. Nam in eo perpensa videas et allata verba Catalaunica, Gallaica, Cantabra, cet. Res omnes summa perspicuitate et brevitate tractantur. Librum edidit Officina Libraria SAETA, *Hilarión Eslava*, 12. MADRID.

MARTIN ALONSO Dictionarium paravit et edidit: *ENCICLOPEDIA DEL IDIOMA* inscriptum, in quo verba omnia Hispanica colliguntur, neque solum illa quae a maxima Hispanice loquentium parte usurpantur, sed etiam quae in singulis regionibus et in America Hispanica usu venerunt. Egregium ergo opus, majus fortasse quam ut ab uno perficiatur homine; sed plane fateamur oportet homines esse qui maxima polleant in laborando assiduitate et perseverantia, quorum in numero cl. vir MARTIN ALONSO. Officina Libraria AGUILAR, S. A. (*Juan Bravo*, 38. Madrid) primum volumen, litteras *a* ad *ch* complectens, evulgavit, reliqua volumina sperat fore ut cito edantur.

**Miranda prorsus:** Haec sunt prima verba Litterarum Encyclicarum quas Pius XII, Pontifex Maximus nuper «de re cinematographica, radiophonica, televisica» die 8 m. septembri a. 1958 promulgavit. Etsi res ibi agitatae a nobis alienae fortasse videantur qui de Latinitate curamus, ad nos tamen loquendi ratione, sermone Latino quo exaratae sunt, litteras pertinere arbitramur. Hae litterae Encyclicae plane commonstrant linguam Latinam etiam nunc aptissimam esse ad mentis cogitata exprimenda et res etiam hodiernas et novas expli-

candas et exhibendas. Qui de his novis inventis loqui Latine voluerit, hic vocabulorum copiam uberrimam inveniet quae vel a veteribus alio sensu usurpata et parce detorta rebus novis exprimiendis aptata sunt vel omnino inventa. Id ego Litteras legens animadverti in priore earum parte vitari rerum quae agitantur nomina simplicia, nam ubique fere artes cinematographicae, radiophonicae, televisicae appellantur; at cum de singulis artibus proprie agitur, nomina nova adhiberi cinematographeum, radiophonum, televisionem...

### Commentarii Scholares:

Nunc pauca verba faciamus de commentariis privatis lingua Latina, vel Latina et Hispanica exaratis. In Seminario Minori Floridae (in Republica Uruquariana) editur folium menstruum «*Utilia*», in quo verba, sententiae, narrationes proponuntur quibus lingua Latina et a magistris facilius tradatur et jucundius ab alumnis discatur. — In Seminario Claretiano *Rosario* in Argentina pueri emittunt commentarios *Fogón* inscriptos, ubi saepe prodeunt exercitationes pueriles lingua Latina scriptas. — Uterque commentariolus machina scriptoria multiplicandis exemplaribus vulgatur. — Cumque de commentariolis scholaribus agamus, dicamus pueros valde amore linguae Latinae inflammari cum nomina eorum pluries in commentariis scripta vident. Alumnum novi qui menstruum exemplar proprium sua sponte digerit ac vulgat at... manu scriptum et unum tantum, sed lepore et venustate conspersum. — Alii alumni quarti Latinitatis cursus septimo quoque die commentarium componunt. Mirum quo studio atque alacritate in linguam Latinam discendam ferantur.

**Corrigenda:** Qui «Per Orbem» in fasciculo superiore legisti, scias velim non Albertum Albertini, sed Albertum ALBERTANI alterum ex aequo duxisse praemium in Certamine Capitolino VIII. Heus! me oculus fefellit et animus!...

Mirandum quoque (ne dicam infandum)

protuli nuntium, «commerci» verbum genus grammaticum mutasse... Noli timere. Si quandoque bono dormire Homero licuit, liceat et Palaestritis!!! Ne ergo legeris, amabo, «hunc» commercium. . Gratiam quam maximam amicis Italis qui de erroribus qui irreperunt me monitum voluerunt.

**De vita decedit:** m. maio a 1957 nonaginta et unum annos natus cl. v. G. MURRAY, nobilissimus litterarum classicarum praesertim Graecarum doctor et scriptor. Cum annum ageret vicesimum quartum doctoris munus adeptus est in Universitate Glasgowsensi, deinde in Instituto *New College* Oxonii magisterio functus est (1899-1936). Optime in Anglicum convertit opera Euripidis poetae, quae in corpore *Oxford Classical Texts* tribus voluminibus continentur, maximo omnium plausu iterum iterumque editis anno 1901, 1904, 1910. Alia quoque opera scripsit ut *History of Ancient Greek Literature* (1897), *The rise of Greek epic* (1907), *Four stages of Greek religion* (1913), *Hellenism and the Modern World* (1953), cet. Etsi studio litterarum totus incumbebat, cum humani nil a se alienum putaret, pacem animorumque concordiam in populis, bello et odiis divulsis, magnopere fovit atque excitavit. Fuit praeses Societatis illius Nationum ab anno 1923 ad 1938.

Placidam etiam obivit mortem, nonagesimum alterum agens annum, Joannes MERCATI, Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalis, et post Achillem



RATTI —qui postea Pontifex maximus, Pius XI creatus est— Bibliothecae praefectus Vaticanae. Totam vitam documentis in Vaticanis Tabulis reconditis investigandis et evulgandis studiosè impenseque vacavit. Ab anno 1900 laboravit in illo librorum corpore edendo «*Studi e testi*» inscripto. Praeterea alia scripsit opera quae anno ejus vitae septuagesimo, «*Opere minori*» nomine, quinque voluminibus edita sunt: Quo die nonagesimum annum explebat, dono accepit primum exemplum *Psaltern Hexapli Reliquitarum*, quem librum XL ante annos ipse in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi invenerat.

—Dum concilium agebatur Societatis Classicorum Universitatis Leodicensis, subita fere morte correptus est cl. v. Eudorus DERENNE, qui ejusdem Societatis vice praesidis fungebatur. Causam humanitatis cultusque strenue tuitus, eandem dum tuebatur, vita functus est.

—Mortuus est die 9 m. aprili; cl. v. Cajetanus de SANCTIS, nobilissimus Romanorum historiae scriptor, cujus opus *Storia dei Romani* manibus omnium rerum gestarum Romanarum peritorum versatur. R. I. P.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

## COLLECTANEA

In omnibus fere COLLECTANEIS de studiis humanioribus tuendis vel oppugnatis locuti sumus. Crescit in dies singulos infestissimorum hostium numerus. At crescit etiam in dies acerrimorum propugnatorum turma, qui validissimis argumentis gravissimoque pondere studia humaniora cadentia fulciunt ac roborant. Pius XII Pontifex Maximus, qua sua est auctoritate, semper haec studia maximi facit et quamcumque occasionem nanciscitur, suis verbis strenue defendit ac tutatur. En quibus verbis allocutus est alumnos e Seminariis Minoribus Galliae, qui Romae convenerant peregrinationis causa, die 5 m. Septembris a. 1957.

•Vous devez vous réjouir tout d'abord de faire des études classiques, car elles demeurent inégalées pour exercer et développer les plus précieuses qualités de l'esprit: pénétration du jugement, larguer de vues, finesse de l'analyse et dons d'expression. Rien n'aide à comprendre l'homme d'aujourd'hui comme l'étude approfondie de son histoire, rien n'apprend à peser la valeur des mots, à saisir les

nuances d'une pensée, la logique d'une composition et la solidité d'un raisonnement comme le travail de la version et du thème sur les langues classiques. Pour vous, Français, latin et grec sont d'ailleurs à l'origine de la langue et de la littérature nationales; mais tout homme d'Eglise se doit de pouvoir lire dans l'original les documents les plus importants et les plus vénérables de l'Écriture et de la Tradition.

Dans le bref séjour que vous venez de faire à Rome, vous avez vu beaucoup d'inscriptions grecques et latines, qui demeurent dans les anciens cimetières et les Musées, sur les monuments païens et chrétiens. Vous savez que la littérature chrétienne ancienne constitue un immense trésor de science et de piété, sur lequel se penchent avec admiration

de nombreux savants du monde entier. Il ne sera pas possible à chacun de vous de se livrer à des études spéciales et approfondies, mais quelle joie pour un chrétien d'entrer en contact immédiat avec ces textes et d'entendre résonner aujourd'hui la voix puissante des Pères de l'Église, d'un Chrysostome ou d'un Augustin!

(AAS, XXXIX (1957) 847).

Nuper Sacra Congregatio Religiosis praeposita novam Studiorum promulgavit «*de religiosa, clericali, apostolica institutione in statibus acquirendae perfectionis clericis impertienda*» qui, vitam religiosam amplexi, sacerdotes aliquando fieri volunt. Id apprime notandum in his novis «Statutis Generalibus» litteras Graecas et Latinas totius institutionis humanae fundamentum necessario jaciendum haberi. Liceat quaedam exscribere ex Constitutione Apostolica «SEDES SAPIENTIAE» et ex eidem adnexis STATUTIS GENERALIBUS.

...Meminerint insuper omnes, quotquot sodalibus instituendis quavis ratione praesunt, hujusmodi educationem et formationem organica progressionem et omnibus pro opportunitate aptis opibus et rationibus adhibitis impertiendam esse, totumque hominem sub omnibus suae vocationis aspectibus amplecti debere, ut reapse eum omni ex parte effingat «*hominem perfectum in Christo Jesu*». Ad opes autem rationesque institutionis quod attinet manifestum est ea quae ab ipsa natura et humana hujus quoque temporis inquisitione suppeditantur, si bona sint, minime spernenda esse, immo magni facienda et sapienter admittenda; nullus tamen error eo peior est quo quis in tam lectis alumnis conformandis, rationibus hujusmodi naturalibus solum vel

nimis innixus, supernaturalis ordinis instrumenta opesque postponit aut quacumque ratione negligit... Quo tamen rationum atque operum ordine servato, nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum, ad omnes naturales virtutes excolendas, et ad integram humanitatem viriliter conformandam quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis excoltaeque humanitatis fundamento, siquidem hominibus eo facilior securiorque ad Christum via patet, quo in sacerdotis persona evidentior ipsis appareat «*benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*». (Constit. Apost. Sedes Sapientiae 21-22 III).

### Lege modo quaedam de Studiorum curriculo medio-classico:

Art. 43, § 1. Curriculum humaniorum litterarum, quod elementarium consequitur et medium-classicum audit, haec requirit:

3.° Tot praeterea studiorum anni et disciplinarum scholae addendae sunt quot requiruntur ut illam expletam eruditionem classicam alumni consequantur quam Ecclesia a futuris sacerdotibus postulat.

4.° Qui autem studia media partim vel integre in scholis diversae rationis peregerit, de studiis testimonium authenticum afferre

debet vel examen subire; dein ea quae desint eruditioni classicae necessario supplere tenetur.

§ 2. - 1.° Curriculum medium-classicum duplex distingui diversae ratione solet: *inferius* ac *superius*. Inferius, quod pro diversitate regionum primos quattuor vel quinque annos integri curriculi saltem complectitur, ante novitiatum necessario expleri debet.

2.° Curriculum medium-classicum, si ante novitiatum non fuit absolutum, ante curri-

culum philosophicum perfici debet, salva probata consuetudine curriculum medium-classicum ita producendi ut postremis saltem annis etiam aliquae disciplinae philosophicae tradantur

§ 3. 1.º Praeter studium religionis, quod in se praecipuum est, curriculum medium-classicum complecti debet imprimis studium linguarum praesertim patriae, Latinae et Graecae, et etiam, exterarum.

2.º Diligens adhibeatur cura, ex multifariam repetita voluntate Sanctae Sedis, incumbendi studio linguae Latinae ejusque usui, tum ob ejusdem vim ad mentes fingendas, tum propterea quod sermo Ecclesiae est, quae Latina dicitur. Alumni saltem ita Latinas litteras classicas et Christianas calleant ut textus scholares facile perspicere possint et, tempore opportuno, traditionis ecclesiasticae fontibus uti fructuose valeant.

3.º Similiter Graecis quoque litteris im-

buantur alumni ut textus saltem Sacrae Scripturae et Patrum legere queant.

4.º Praeterea curriculum complectatur oportet historiam, geographiam, mathesim, physicam, chemiam, scientias naturales et alia...

—De lingua Latina in tradendis disciplinis philosophicis et theologicis adhibenda, haec praescribuntur in «Statutis Generalibus»:

Art. 44, § 2. 2.º: Philosophia scholastica quoad omnes partes, tradatur . . . methodo scholastica et lingua Latina, exceptis, si ex paedagogica ratione opportunae visae fuerint, brevibus interpretationibus quae lingua patria fieri possunt.

Art. 45, § 5. Quae de repetenda doctrina in scholis antea tradita et de examiniibus pro curriculo philosophico statuta sunt quaeque de lingua Latina in lectionibus adhibenda, ea etiam in curriculo theologico fideliter serventur.

Collegit JACOBUS SIDERA, C. M. F.

Hunc emite Librum: \_\_\_\_\_

# Historia de la Cruz y Crucifijo

scripsit Dr. A. SANZ

Optima charta, perspicuis typis, plurimis photographiis.

Nullibi librum invenies hoc meliorem neque minoris emes.

Charta contectus, 25 ptis.

Linteo, 30 ptis.

Charta dentata linteoque contectus, 35 ptis.

Venalis prostat in Aedibus «Palaestrae Latinae»

Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca) España

# BIBLIOGRAPHIA

WEGNER, MAX. — *Hadrian. Das Roemische Herrscherbild* herausgegeben von E. Boehringer, G. v. Kaschnitz-Weinberg. Verlag Gebr. Mann, Berlin, 1956.

Opus hoc a praeclaro viro M. Wegner exaratum, volumen tertium est illius nobilis Germani corporis «Das Roemische Herrscherbild», cui operam sedulam dat Institutum Archaeologicum Germanicum. Totum dicatur Hadriano ejusdemque familiaribus, Plotinae, Marcianae, Matridiae, Sabinae. Omnia vero Archaeologica ratione in hoc libro aguntur: notiones historicae raras. Statuae Hadriani maximo ingenio explicantur, monumentorum ope ad nos usque transmissis. Signa quoque feminarum, Plotinae, Marcianae, Matridiae, Sabinae miris photographiis illustrantur.

De Hadriano praeclarus vir M. Wegner ea prae primis investigat: «Typus Stazione Termini (pp. 8-10), Typus Vatikan Chiaromonti 392 (pp. 10-12), Typus Rollockenfriseur Terme 8618 (pp. 13-15), Typus Panzer-Paludamentumbueste Balae (pp. 16-20), Typus Panzer Bueste Imperatori 32 (pp. 20-24), Typus Paludamentumbueste Vatikan Busti 283 (pp. 25-26)». Tum agit de singulis simulacris, de simulacris ex provinciis, de simulacris incertis et falsis (pp. 26-73).

Quaedam deinde de vita familiarum Hadriani deque eorum signis antiquis considerantur (pp. 74-91). Catalogus de re amplissimus adhibetur, cui et operam dedit clarus vir Georgius Daltrop (pp. 133-182). Etsi ambitus exigui, liber hic maximi est momenti, quem viri docti aestimandum ducent.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

AVENARIUS, GERT. — *Luktans Schrift zur Geschichtsschreibung*. Verlag Anton Hain Kg. Meinsenheim / Glan, 1956.

In vulgus editur hoc volumen adjuvante Consilio ad pristinam Historiam et Epigraphiam civitatis Monacensis, quod maxime ad nonnullas quaestiones historiae antiquae sol-

ventas attinet. Lucianus scriptor, ejus opus litterarium, stilus magno quidem ingenio a praeclaro Professore G. Avenario describitur in scito libello, qui 183 admodum pagellis continetur. Lucubratio praesertim magistris atque historiae antiquae cultoribus aptissimum est. Doctrina summa et exquisita, disciplinae processus solidus, analysis omnino ad scientiarum normam aptata, bibliographia de re copiosa et selecta, criticus, qui dicitur, apparatus usque ad nostram aetatem. His potissimum commendandum opus, qui quippiam de historiae scientia sapere exoptant.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

HUS, ALAIN. — *Les Etrusques peuple secret*. Librairie Arthème Fayard, 18, Rue du Saint-Gothard, Paris 1957.

Ex his hic liber est qui libenter perleguntur ob scriptoris facundiam et facilitatem in rebus pingendis. Atque totus in id liber tendit, ut nobis arcana populi Etrusci patefaciat, qui in provincia quidem historica, ut nunc est, salubris scaturit ex monumentorum atque scriptorum inopia. In octo capita cl. v. A. Hus, Professor, totam dividit rem hac tamen ratione: I. Aurum, tumuli, sapientes (pp. 9-35). II. Myths et fabulae in tenebris (pp. 37-64). III. Etruria, conspectus perennis (pp. 65-120). IV. Fatum, historia, epos (pp. 121-153). V. Cultus falso criminatus (pp. 155-182). VI. Religio quasi divinitus accepta (pp. 183-207). VII. De Etruscorum arte (pp. 209-260). VIII. Ingentum et legata Etruscorum (pp. 261-279). In hoc certe opere legendum tanquam dioptra tibi erit cultus humanitatisque prae-romanae in populis Graeco, Romano, Etrusco.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

## TUSCULUM

Quisquis in «Bibliographia» libros recensos legit, id unum animadvertit eos omnes qui ad corpus TUSCULUM pertinent, eandem indolem eundemque modum prae se ferre. Nam

saepe inventas in ipsis nuda Auctorum veterum scripta primigenia, interpretatione Germanica addita, typis nitidis accuratisque excusa. Deinde in extremo opere de ipso scriptore post ejus scripta optimas commentationes legas et eruditione plenas quibus quis fuerit scriptor perpenditur, quibus adjunctis liber scriptus fuerit vel editus. Hujusmodi sunt libri Ciceronis Tusculanarum, Sapphus carmina, Propertii Elegi. In aliis vero longior prooemium praemittitur, ut in Anthologia Graeca et in Sybillinis vaticinibus. Sed in singulis voluminibus adduntur notulae quibus singularum paragraphorum sive difficultates enodantur, sive res consideratione dignae perpenduntur, sive loci similes ejusdem vel aliorum scriptorum afferuntur. Et tandem Index nominum et rerum, quo facilius quae lector quaerat, inventiantur. — Nunc pauca de aliquibus voluminibus dicamus:

MARCUS TULLIUS CICERO, *Gespräche in Tusculum*, Lateinisch-deutsch. ed. Olof GIGON. Ernst Heimeran Verlag, München. 1951, p. 472.

In hoc volumine legas uno tenore Ciceronis «Tusculanas disputationes», quas emendate et eleganter edidit et in Germanicum convertit cl. v. O. Gigon, qui etiam illas notulis doctrinae plenis illustravit.

HORAZ, *Sämtliche Werke*. Lateinisch und deutsch. Nach Kayser, Nordenflycht und Burger herausgegeben von Hans Färber. Heimeran Verlag, München, 1957. Ed. altera. Pars, I pag. 323; Pars, II, pag. 343.

Etiam Horatii opera omnia digna sunt quae commendentur in hac novissima editione bilingui, quam accuratissime paravit, post Kayser et Nordenflycht, cl. v. Hans Färber. Hoc volumen duabus partibus et notulis et tabulis et librorum indicibus immo et paginarum numeratione apte distinctis absolvitur. Pars prior carminum libros VI, Carmen saeculare, Epodon librum comprehendit, addita Horatii vita a Suetonio exarata. Post haec apparatus criticum, bibliographiam, figuras metrorum ab Horatio usurpatorum, nominum indicem et poematum, et indicem sententiarum a nobilissimo poeta prolatarum invenies.

Parte altera sermonum libri II, Epistularum libri II, de Arte poetica liber continetur. In hanc partem parandam operam contulit cl. v. V. Schöne. Praeterea, praecipua Horatii vitae facta, ejusdemque aequalium, prout ex ipsius operibus erui licet, per summa capita proponuntur.

SAPPHO, *Lieder*. Griechisch und deutsch herausgegeben von MAX TREU. Ernst Heimeran Verlag. München, 1954, 2<sup>a</sup> ed. pag. 247.

Utilis etiam et commoda haec carminum Sapphus editio. Hoc volumine continentur carminum reliquiae novae, libri VII cum «epithalamis» et «incerti libri fragmentis». Opus Graecum completur veterum scriptorum testimoniis, qui vel sententiam quandam Sapphus memorant vel quaedam de poetriae vitae actis referunt. In extremo libro colligitur librorum, qui de Sappho agunt, index valde completus et additur commentatio de lyrica Sapphus.

PROPERZ, *Elegien*. Lateinisch und deutsch, übersetzt und herausgegeben von Wilhelm WILLIGE. München, 1950, pag. 296.

Hos Propertii poetae elegos edidit cl. v. G. Willige, qui singulos versus, qui vel nomen praebent novum sive alienam manum produnt, scite explicavit notulis ubi optima quaeque de Propertio ab aliis prolata sunt et ipse interpres invenit colliguntur atque complentur. Ibi etiam invenias librorum indicem qui ab anno 1936 de Propertio poeta scripti sunt.

SIBYLLINISCHE WEISSAGUNGEN. Urtext und übersetzung. Ed. ALFONS KURFESS. Bei Heimeran, München, 1951, pag. 375.

In hoc volumine habentur XI Sibyllarum oraculorum libri, quos magnopere legere juvat dactylis spondaeisque Graecis expressos, factorum et cogitatorum e Sacris Bibliis desumptorum plenos, Sibyllasque audire de Deo loquentes et de Christo subtili quadam ac propria prophetarum et evangelistarum perspicentia. Hanc editionem curavit et in Germanicum sermonem convertit cl. v. Alfonsus Kurfess, qui in praefatione in universum de

Sibyllis omnibus loquitur et proprie de singulis, qualis unaquaque fuerit si re vera fuit, de oraculis sibyllinis Graecis, Romanis, Judaeis, Christianis. Post Sibyllarum oracula, adduntur Sibyllarum testimonia quae afferuntur a Vergilio, Lactantio, aliisque, earumque in posteros momentum cum in Stum. Augustinum tum in aetatem quae media dicitur. Optimus index rerum et librorum hoc complet volumen, quod haud parvi est momenti et materia quam continet et vi et auctoritate quam in pietate populorum christianorum evolvenda habuit.

PLATON, *Phaedon*. — Griechisch und deutsch herausgegeben von Franz DIRLMEIER. Verlag Ernst Heimeran, München, 1949, pag. 285.

His libris adde etiam Platonis Phaedonem, quem edidit F. Dirlmeier. Commoda sane editio et conversio Germanica et extremis commentationibus ubi Platonis in Phaedone philosophia perpenditur et libri singulae partes concinne explicantur, intellectu difficilioribus enodatis.

*Anthologia Graeca*, Buch I-VI, Griechisch-Deutsch ed. HERMANN BECKBY. Ernst Heimeran Verlag, München, 1957.

Hoc tandem praebemus opus novum, quod etsi extremo horum librorum recensetur loco, est tamen praestantissimum. Maximum Graecorum omnium rerum colligendarum studium effecit ut ad nos usque pervenirent multa poëtarum carminumque Graecorum anthologica. Quicquid horum collectorum poematum remanet, hac editione, cujus partem priorem recensemus, continetur. Maximum «*Anthologiae Graecae*» momentum ad litteras Graecas penitus pleniusque cognoscendas inde patet quod annorum 1600 vel 1700 spatium complectitur. Haec carmina sunt scriptorum cognitorum ignotorumve, quorum opera et memoria sine dubio oblivione tecta esset nisi hi viri fuissent qui anthologica colligerent.

In praefatione cl. v. Hermann Beckby breviter de «*epigrammaticae*» artis historia agit, quae complectitur vetera epigrammata, Simonidis, Atticorum scriptorum, «*scholae*» Peloponnesiacae cum Leonida Tarentino, Ionicae-Alexandrinae cum Asclepiade, cet. Deinde hu-

jus «*Anthologiae Graecae*» historiam cursim describit, collectis recentiorum sapientium investigationibus memoratisque versionibus vernaculis praecipuis. Hoc volumen Carminum Graecorum, Germanica conversione aucta notulisque criticis, libros I ad VI complectitur. In primo libro habentur christianorum epigrammata, altero Christodori inscriptiones statuarum, tertio epigrammata templo Apollonidis Zycici dicata, quarto prooemium Meleagri et Philippi et Agathiae, quinto amatoria, sexto consecratoria. Singula epigrammata illustrantur notulis extremo libro collectis.

Qui hoc volumen prius volutaverit, necessario et alterum in manibus habere desideret, quo tantum opus completum perficiatur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

F. E. ADCOCK. — *Caesar as man of Letters*. At the University Press. Cambridge, 1956, pag. 115.

Quod scripta Caesaris facillora intellectu habentur et ut facillora in alumnorum Latinitatis studia incipientium manibus versantur, maxime confert ut fere qualis scriptor Caesar fuerit negligatur. Praeterea, qui Caesarem in schola altera vel tertia legere vel convertere conatus est, facile adducitur ut eum despiciat quasi simplicior sit, diceresque eum paene pudere ad Caesarem in scholis superioribus vel in Universitate redire. At virtutes tamen litterariae Caesaris scriptoris dignissimae sunt quae amplissime efferantur et imitandae proponantur. Quod, merito quidem, cl. doctor F. E. Adcock in hoc opere demonstrare animum induxit. In prooemio igitur breviter proponit quis fuerit Caesar cum sua scripta exaravit. Postea exponit dicendi genus in universum, et singulariter quid Caesar sibi proposuerit in Commentariis scribendis quidque in ipsis describatur. Caput subsequitur in quo Caesarem virum militarem praebet, et disputatur quid ille de bello deque viris tum bellantibus ut scriptor senserit. In capite IV examini subicitur stilus et «*persona*» Caesaris, et in V quo tempore «*Bellum Gallicum Bellumque Civile*» condita fuerint et edita aliaeque quaestiones perpenduntur. Liber absolvitur capite VI ubi paucis «*Corporis Caesa-*

riani» opera recensentur. Cui de Caesare scriptore loqui voluerit maximae hic liber utilitati erit.

PEREIRA, SILVIUS BAPTISTA, *Alma Roma - Pompejana*.

Brasiliensis Professor, quem de studiis classicis in Brasilia disserentem lectores nostri jam noverunt, cum iter per Italiam olim instituerit, incredibili quadam affectus est admiratione, Romam contemplan, ruinasque Pompejanas tremente animo lustrans. Quare quid sensisset his opusculis mira Latinitate conscriptis, expressit. Parva quidem mole opuscula, sed jucunda, sed lepida, sed elegantia. De Roma et de Pompejis egit una lingua, qua de iisdem loqui licet, Latina. Amico carissimo gratum exhibemus animum quod nobis Romam et Pompejana licuit oculis amore plenis contemplari eumque Latine loquentem audire,

L. SCHÖKEL ALONSO, *La formación del estilo*, «libro del Profesor». 3.<sup>a</sup> edic. Editorial «Sal Terrae», Santander, 1957, pag. 322.

Litterarum doctor, qui hunc librum legerit, et praesertim qui in litteris tradendis adhibuerit, alienum fortasse arbitrabitur me in eo commendando immorari, cum ipse tertio in lucem editus se commendat. Qui vero nondum in manibus habuerit qualis sit nunquam satis mente complectetur. Non enim est liber litterariorum praeceptorum quae inconsulte et disjuncte colligantur. In hoc sane libro praecepta traduntur, sed quasi e duplici manantia fonte proponuntur, qui fontes sunt sapientium de animo doctrina eruditioque, et usus exercitatioque auctoris ipsius ejusdemque alumnorum. Has proin virtutes habet liber: rem «scientificam» primum exponit, deinde rationem et viam usu et exercitatione commendatam proponit, auctorum denique optima exemplaria ut imitationi sint, et pessima etiam ut vitia vitentur. Quae scripta non modo e litteratorum virorum libris excerpta sunt, sed etiam ex alumnorum exercitationibus. Haec omnia, praecepta dico et principia non jejuna et exili et arida oratione, sed ornata, expolita, fluenti, ita ut vel ipsum dicendi genus exemplar et specimen scribendi habeatur. Quod

cum optimum sit, scopulo, in quem offendas, forsitan sit aliquando, nam non semper res ita distincte discernuntur ut perspicue et dilucide videas. Opus tamen omnino necessarium ducimus illis magistris qui litteratos alumnos volunt.

MARIOTTI, SCEVOLA. — *Il «Bellum Poenicum» e l'arte di Nevio*. Saggio con edizione dei Frammenti del «Bellum Poenicum», Angelo Signorelli Editore. Roma, 1955, pag. 151.

Arduum sane opus auctor aggressus esse videtur, pervestigare qua arte Naevius poema, cujus reliquae solum solutae exstant et per breves, condiderit. Qua re mirandus magis est hic Mariotti liber in quo fontes hujus poematis investigantur. Quod poema brevius fuisse Auctor efficit, et asserit in eo scribendo Naevium in unum colligere et copulare voluisse virtutes quae in Iliade et in Odyssea inventuntur. Qui tamen argumentum Homericum nullo modo est secutus, sed ex rebus gestis Romanorum desumpsit et facta commemoravit quibus ipse interfuit. Naevius, etsi Graecorum auctoritate impulsus, non alienus in scribendo est, sed plane suus, contra ac Livius Andronicus. De Poetae dicendi genere Mariotti notat Naevianam Latinitatem, verbis Graecitatem sapientibus purgatam, prisca vocabula et in lexico et in morphologia, proprietates Naevianae syntaxeos, ubi praesertim inventuntur coordinatio, rerum vocabulorumque repetitiones, instar sermonis sacri et juridici. Etiam designat sonorum figuras, quae sunt homoteleuta et alliterationes. De metro quoque Naeviano, quod saturnium est, affirmat auctor Naevium hoc scienter elegisse et adhibuisse — quamquam jam hexametrum in usu erat — ut praestantiam quandam et magnificentiam, quasi rei sacrae, poemati tribueret.

Mariotti denique reliquas, quae exstant, collectas notulis explicat, quibus et fontes exigit et lectiones varias, scansionem metrorum exponit, locos allatos et in libro enucleatos exhibet. Ut patet, liber omnibus adeundus qui de Naevio poeta ejusque poematum loqui voluerit.

J. SIDERA, C. M. F.

GIOMINI, REMO. — *Saggio sulla Fedra di Seneca*. Angelo Signorelli Editore. Roma, 1955. pag. 123.

Cl. Auctor conatus est investigare atque perpendere quidquid boni et pulchri et vivi et fecundi jacet in Senecae Tragoediis, praesertim vero in illa cum praeclarissima tum optima quae inscribitur PHAEDRA. Quod ut assequatur de fontibus tragoediae et Graecis et Latinis agit. Unde demonstrat alia ex parte Senecam quaedam ex Euripidis et Sophoclis tragoediis, ex alia autem ex Ovidio quaedam derivasse; ex quo effici vult Philosophum eumque Tragicum scriptorem et ex optimis quibusque aliorum fructus collegisse et suo ingenio suaque industria ea sua et propria fecisse. Deinde opus per Actus singulos examini subicit. Placet comparatio illa quam inter extremum actum III Senecae Tragoediae cum Euripide et Racine et D'Annunzio instituit et cum ostendit quanti momenti Senecae tragoedia in posteriore Theatro evolviendo fuerit. Hoc libro melius et aequius Senecae Tragicae virtutes perpenduntur et aestimantur.

LIENARD, EDMOND. — *C. Julius Caesar. Fortissimi sunt Belgae. La Campagne de Belgique*. Office de Publicité, S. A., Editeurs, Bruxelles, 1957, pag. 104.

Hic liber scriptus est in Belgio puerisque Belgis proponitur, in eoque illi loci e Caesaris Commentariis «de Bello Gallico» excerpti praebentur quos legere puerorum Belgarum intersit, ut sunt illi in quibus de Caesaris expeditione in Belgas agitur. Librorum scholarum exemplar hic habeatur et prooemio, in quo leges syntacticae et Institutiones militares paucis describuntur, et notis, quibus scripta illustrantur et expenduntur, et figuris arte depictis, quae longiori explicationi inserviunt. Aliquot tamen typographica menda, expungantur oportet; nonne etiam melius sit verba Latina in notulis explicata typis diversis a verbis Gallicis, maxima perspicuitatis gratia, distinguere? Qui naevi nihil huc

opusculo detrahunt, at sublata, forte opus melius et aptius evadet.

L. LAURAND et A. LAURAS. — *Manuel des Etudes Grecques et Latines*, Tome I, Grèce. Géographie, histoire, Institutions, Littérature, grammaire historique, métrique grecque et latine. Edition entièrement refondue par A. Lauras. Editions A. et J. Picard et Cie., 1957. pg. 676.

Athenas noctuam mittere videbitur qui hunc librum commendet quem omnes litterarum studiosi maximi faciunt, quique, qua sua est brevitate, lucido ordine, cum optimum quemque librum indicet, et optima quaeque ab altis scriptoribus prolata in unum cogat ac paucis contrahat, manu nocturna diurnaque a scholasticis et magistris ubique versatur. Hic tamen liber ut locum suum teneret etiam nunc, debuit ad nostrae aetatis necessitatem omnino aptari. Quod quidem summa peritia effectit A. Lauras qui in duo volumina contraxit quod antea tribus divulgatum erat, opusque emendavit, expolivit, auxit. Volumen alterum jam pridem, anno dico 1955, in lucem editum est, quod de Roma rebusque Romanis agit. Nunc primum vulgatur, quod de Graecia rebusque Graecis totum agit. Illa pars in qua de institutionibus Graecis disputabatur, completur additis quibusdam de numismatica, de epigraphia, de palaeographia, de artibus doctrinisque Graecorum. Magnopere retractavit quae ad bibliographiam attinent et valde auxit quae ad litteras Graecas Christianas spectant. Ea quae ad phoneticam et morphologiam pertinent, penitus funditusque innovata sunt, recentioribusque eruditorum virorum investigationibus accommodata. Nemo, qui his studiis vacat, non grato animo accipiet hoc opus vetus et novum, usu et experimento probatum, perfectum completumque opera ac studio A. Lauras.

Speramus tamen ut quaedam errata in proximis editionibus expungantur, ut pg. 569, n.º 246, bis ἀλειν pro ἀγειν, et pag. 570, n.º 248. Rem. I, ῥίππει pro ῥίπτει,

J. SIDERA, C. M. F.



OENNERFORS, ALF. — *Pliniana*. In Plinii Majoris Naturalem Historiam studia grammatica semantica critica. Commentatio academica. Upsaliae MCMLVI. Typis descripserunt Almqvist et Wiksell Soc.

Quattuor capitibus propositum commentationis hujus academicae a praeclarissimo viro ALF OENNERFORS absolvitur. Brevissimum post exordium, primum de stilo disseritur Pliniano: de sermone qui dicitur tecnico (pp. 11-42); de sermone vulgari (pp. 43-51); de studio litterato et oratoria arte exculso (pp. 52-68); absolvitur haec prima libri pars conclusione aliqua de dativo finali in scriptis Plinianis (pp. 69-73).

Caput secundum semanticae totum scientiae dicatur, ubi per lucide de substantivis, adjectivis, verbis, adverbis, particulis in scriptis Plinii (pp. 74-108). Caput tertium est de syntacticis variis. Scientifica nimirum via ac ratione disserit auctor de ablativis qualitatis, de ablativo absoluto, de ceteris ablativis, de ablativo comparationis, loci, temporis; atque de participiis, de numeris cardinalibus, ordinalibus, distributivis (pp. 109-152). Extremum denique caput est de re critica: non nullae agitantur quaestiones selectae, ut loci ad *-que* et *-ve* particulas pertinentes (pp. 153-174). Finitur scitum hoc opus indicibus variis, locorum, rerum, verborum, editionum, librorum (pp. 175-195). Opus academicum Latinitatis alumnis consentaneum, magistrisque et iis qui Historiam Naturalem Plinii investigant utilissimum, idque laudandum quod lingua Latina est scriptum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

FRIEDRICH KLINGNER. — *Roemische Geisteswelt*. Neue, vollstaendige und vermehrte Gesamtausgabe. Verlag Hermann Rinn Muenchen, 3. vermehrte Auflage, 1956.

Opus magni quidem momenti ex 693 densissimis pagellis, ubi Romanorum litterae ad summam rediguntur, opera clarissimi Professoris F. Klingner. Brevis, ubi libri propositum objicitur, introductio praebet (pp. 9-11) Ea autem ratione rerum ordo disponitur: Italia, nomen, sensus, notio apud antiquos (pp. 13-35). Cato Censorius et discrimen rei publicae

(pp. 36-67). Historiographia Romana (pp. 68-91). Cicero (pp. 92-141). Poetae atque poesis apud pristinos Romanos (pp. 142-172). Lucretius (pp. 173-199). Catullus (pp. 200-220). Vergilius (pp. 221-308). Horatius (pp. 309-400). Carmina amatoria, Elegiae amatoriae: specimina romanica apud Goethe (pp. 401-411). Tibullus (pp. 412-425). Livius (pp. 426-450). Tacitus (pp. 451-474). Litterae apud Romanos, exeunte antiquitate (pp. 475-525). Boethius (pp. 526-560). Roma quasi specimen et forma (pp. 561-582). De Juris scientia (pp. 583-599) Cicero et Petrarca. De Humanitatum initio (pp. 600-619) De Humanitate (pp. 620-662). Appendix: De pristina Pythica Pindari poesi (pp. 653-685). Chronologia, et locorum index (pp. 686-693).

En habes veram de illa mentis cogitationisque vita apud Romanos historiam et quasi bibliothecam, quam sedula manu et alto studio praeclarus antiquitatis doctor congescit, qua litterarum cultores scientiae desiderium facile explere poterunt.

I. GONZALEZ, C. M. F.

BACCI, ANTONIO. — *Vocabolario italiano - latino delle parole moderne e difficili a tradurre*. Terza edizione. Societas libraria «Studium» edidit. Romae.

In libris clarissimi viri Antonii Bacchi, ab epistulis Pont. Max. ad Principes, hic quidem praeeminet: «Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius latine redduntur». Nuper tertia ejusdem editio in lucem prodit retractata multoque locupletior. In hoc volumine ad 3.000 vocabula adiciuntur superiori editioni, et non nullae etiam mutationes meliore loco ibi cernuntur. Haec humanissimo lectori praeclarus scriptor, altera in editione, conscripserat: «Nonnulli a me, nec semel, e Romana praesertim Curia quaesiere quomodo haud pauca vocabula, quae in communibus lexicis vel omnino desiderantur, vel imperite proponuntur, latine reddi possent. Quorum votis ut satis pro viribus facerem, hoc lexicon in vulgus edidi, quod jam, a disciplinae meae quondam alumno rogatus, exaraveram. Opus sane nec perfectum, nec absolutum est, quamvis mihi tantis steterit curis tantisque laboribus».

Liber certe utilis magnique ingenii atque laboris. Illa hic referre juvat quae clarissimus vir J. B. Montini, Antonio Bacci, Latinitatis magistro, exoptabat: «Utinam frequens e sacro ordine virorum numerus at il praecipue qui Romanae Curiae ministros agunt, egregio hoc litteraturae specimine incitentur ad diligentiorum Latinae linguae consuetudinem, ut quae superiore aetate, Maximorum Pontificum auspiciis, semper floruit humaniorum disciplinarum laus, ea nostris quoque temporibus vigere ne desinat».

A. MARQUÉS, C. M. F.

A. MASCIULLO. — *Il verbo latino nelle sue irregolarità e costruzioni speciali*. Società Editrice Internazionale, Torino.

Hic liber litterarum Latinarum alumnis in primis dicatur. Qui ipsa inscriptione patet: de anomalis verbi Latini est atque constructionibus singulariter. Litterarum ordine proponuntur verba irregularia conjugationum, et verba anomala, defectiva, impersonalia. Tum afferuntur perfecta et supina eadem prorsus ratione. Denique index verborum cum regimine vario prostat. Non nulla de temporum formatione delibantur; desinentiae personales recoluntur, tabellae quattuor conjugationum, activae, passivae, deponentis, opus perficiunt; 155 admodum pagellae lucubrationem constituunt, quae conversionem in sermonem Latini faciliorem certe reddent alumnis. Propositum hoc sibi adscivit clarus Professor A. Masciullo, ut ipse in praefatione confitetur, quodque toto opere quidem ostenditur atque comprobatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

G. MAGARIÑOS. — *Juvenal y su tercera sátira*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto «Antonio de Nebrija». Manuales y Anejos de «Emerita», XV.

Agitur hic de disputatione analytica atque investigatione philologica in Saturam Tertiam Juvenalis poetae. Primum haec fuit lucubratio academica ad Licentiam in Litteris Facultatis Humanitatum et Scientiarum Urquarianae rei publicae. In trutinam denuo re

exagitata, librum hunc exaravit clarus vir G. Magariños, qui Latinarum Litterarum cultoribus delectamento esset atque institutioni.

In praefatione (pp. 9-11) eruditus scriptor quasi operis lineamenta detegit atque non nulla de libro, cui inscriptio *Juvenal the Satirist*, a praeclarissimo professore Gilbert Highet exarato, delibanda offert. In primo vero capite (pp. 13-31) disserit de Juvenale ac de critica historica; facile de auctoris ejusdemque operis interpretationibus verba facit. In capite altero (pp. 33-77) commentarium Saturae tertiae philologicum tradit. In capite tertio (pp. 79-100) explicatio seu analysis exstat litteraria. Tum denique Saturae conversio in linguam Hispanicam cum copiosis rei notis adhibetur (pp. 107-119). Neque deest bibliographia praecipue de Juvenale poeta ejusdemque scriptorum merito. Opus vere scitum cultoribusque Latinarum litterarum commodum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

F. HOUBREXHE. — *Homère, Iliade texte commenté, chants I à VI. Homère, Iliade, chants I à VI*. Dessain, Liège, 1956.

En tibi opera duo, a claro Professore F. Houbrexhe exarata, quorum alterum alterius est complementum. Alterum est textus sex priorum canticorum Iliadis notitiis historicis, geographicis, rhetoricis explicatus. Unicuique poematis cantico brevis praeit rerum summa, quae maxime quidem argumento intellegendo inserviet. Perbellae tabulae pictae antiquitatis Graecae opus ornant atque illustrant. In introductione vero libri, praecipua de quaestione Homerica proponuntur ab auctore, non omnis opinionibus hodiernis de iis carminibus, quae jam antiquis temporibus Homero poetae adscripta sunt. De unitate poematis Iliadis facili calamo scriptor disserit in capite secundo, ubi acutius de compositionis unitate atque de unitate psychologica disputat. Neque index bibliographicus desideratur auctorum praecipuorum.

Alterum vero opus est lexicon quod voces explicat in his canticis ab Homero usitatas. Hujus modi libelli ope facile alumni poetae mentem percipient atque intellegent. Commode ab auctore opus hoc dicitur: «Préparation

et commentaire de civilisation». Cum superiore libro velut in unum convertuntur, quod magno opere ad linguam Graecam tradendam aptum ducimus. Illud abs dubio a Graecitatis cultoribus in maximo erit pretio, si quid nostri est iudicii.

A. MARQUÉS, C. M. F.

L. CELLIER. — *Gérard de Nerval, L'Homme et l'Oeuvre*. Collection *Connaissance des Lettres*. Hatier-Boivin, Paris, 1956. 254 pag., 450 Fr.

Dum centesimus a nativitate elabitur annus grata clari viri G. de Nerval memoria hoc opusculo redditur. Ex corporis seu collectionis norma, viris litteratis laborum complexus de vitae tenore atque operum litterariorum insignis poetae Galli a Professore L. Cellier apte lepideque exaratus offertur

In octo capita totus liber dividitur, hac quidem ratione: «I. *La Croisée des Chemins* (pp. 5-43); II. *Emancipation* (pp. 44-62); III. *Le Guignon* (pp. 63-89); IV. *La machine infernale* (pp. 90-135); V. *La descente chez les mères* (pp. 136-169); VI. *La cité des livres* (pp. 170-187); VII. *Une âme romantique* (pp. 188-201); VIII. *Le créateur* (pp. 202-237)».

Non nulla, sub fine (238-252), a praeclaro scriptore de «mytho Nervalensi» disseruntur, quae totam viri poetaeque faciem perstringere, idque facili calamo, intendunt. Studium hoc «objectivum» prorsus de rebus «subjectivis», ut plurimum, quod in scriptoribus iudicandis solet. Notulae quaedam bibliographicae opus absolvunt (pp. 253-255) una cum rerum libri tabella.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

A. TRAINA. — *L'alfabeto e la pronunzia del latino*, Bologna 1957, Casa Editrice Prof. Riccardo Patron, p. 85, L. 900.

Hoc libro ea tractatur quaestio, quae, quo citius latusque verba prolata instrumentis technicis diffunduntur et homines frequentius huc illuc et celerius commigrant, majoris quin etiam quam maximi momenti est. Quam difficultatem omnes, qui ante duos fere annos Aventionem confluerant, cum animadvert-

runt certe objectam tum sapienter superandam existimaverunt. Is autem, qui hoc opusculum magnae praestantiae confecit, quod est non solum de litterarum Latinarum ordine et appellatione sed etiam origine, additamentis, formis, nominibus, ex copta ingenti materiae sollerter seligendas suscepit eas litteras sive solas sive conjunctas, quibus potissimum efferendis singulae nationes inter se differre noscuntur, diphthongos inquam, sonum intermedium, qui est inter *i* et *u* litteras, *y* litteram, *u* consonantem seu potius semivocalem, adspirationem, *ti* syllabam, cum vocali cuilibet praepositur, *c* litteram *e* vel *i* vocalium praepositivam, denique conjunctiones litterarum, quae sunt *-quu-*, *-ng-*, *-gn-*, *gn-*, *ns-*, postremo *s* litteram, ubi est vocalibus interposita. Addidit tabulam, qua varii modi itque praecipui litteras enuntiandi, qui vigerunt vel adhuc vigent, conferuntur. Idem pauca praefatus de consilio magistros doctoresque futuros satis copiose informandi minus contendit studia sua ad usum dirigere quam monumenta antiqua ad id opus idonea comparare confisus se sic multum ad quaestionem pronuntiatūs facilius absolvendam congruenter contulisse. Atque profecto quidem cum exempla tum loci sive scriptorum sive grammaticorum sive inscriptionum diligenter delecta sunt neque linguarum aliarum argumenta neglecta. Quin etiam nova allata sunt antehac minus usurpata vel ad usum translata. Itaque dilucide demonstratur in diphthongis duas inter se vocales jugatas sub unius vocis enuntiatione prolatas esse veluti geminae vocis unum sonum. Haec comprobantur vocabulis mutuatis vel peregrinis, ut *Kaiser* (*German.*), *saigulum* (*Hibern.*). Idem homoeoprophoris evidentius confirmatur. Paulatim autem diphthongi sermonis urbani in vocales simplices transmutatae sunt. Id quod in sermone vulgari multo ante effectum est. *C* autem (*et g*), quae littera hodie maximum discrimen variarum nationum est, usque ad quartum saeculum quin etiam sextum p. Chr *n k* consonanti et *q* similis fuit atque vicinus quam ulli alii. Quam ad rem firmandam plurimum exempla ab onomatopoeia sumpta valent, ut *cicirrus*, graece *κικίρρος*, germanice *kikeriki*, hispanice *quiquiri-qui*, gallice *coquerico*, lusitane *cocorico*, russice

*kukurickū*, japonice *kokekokkō* Accedunt multa alta exempla eaque generis alius Tamen desiderantur inscriptiones Christianae, cum in catacumbis multis locis legatur: IN PAKE vel IN HAKE, altaque hujus generis, licet non ad eam philologiam spectent, qua in aureae tantum aetatis scriptores inquiruntur.

Optime autem, quamvis paucis verbis, refertur, quid viri litteratissimi nostrae aetatis, quid medii aevi, quid redintegratis studiis antiquitatis de hac quaestione judicaverint re in utramque partem perpensa. Singulis partibus praecipuis index bibliographicus copiosus, quo continentur opera praestantiora, subjungitur. Postremo index vocabulorum commemoratorum tractatorumve additur secundum ordinem litterarum dispositus et linguas adhibitas Sequitur index fontium. Facile igitur unusquisque ex hoc opere praestantissimo cognoscet, quantum appellatio litterarum vere Latina differat a consuetudine translaticia, aliquatenus intellecturus, quid certo scire possimus.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

LAROCK, VICTOR. — *Erasme, Eloge de la Folie. Textes traduits et annotés. N.° 3. N. Troisième édition. Office de Publicité, S. A., Éditeurs, rue Marcq, 16, Bruxelles, 1957.*

En tibi lepidus libellus 90 pagellarum, qui quidem maxime ornat Collectiones «Lebègue et Nationale», quarum adhuc 228 volumina in lucem sunt edita. Ibi non nulli adsunt textus, in Gallicam linguam conversi a claro scriptore V. Larock, illius celeberrimi operis *Desiderii Erasmi Rotterodami, cui inscriptio est Encomium Mortae*.

Alitae in primis dicantur pagellae scriptori Erasmo, Humanismi, ut dicitur, facile principi (pp. 5-18). Pauca deinde innuuntur de «Encomio Mortae» (pp. 19-20). Et consequuntur non nulla hujus operis pericopae in Gallicam linguam pulchre redditae, quibus et mentem et artem litterariam Latini scriptoris Erasmi detegere intendit praeclarus vir V. Larock. Notitiae potissimum historicae infra pagellas adhibentur (pp. 21-84).

Non nullae picturae libellum ornant, va-

riaeque Erasmi effigies antiquae prostant. Conversio haec Gallica generatim sequitur textum Latinum editionis professoris J. - B. Kan, anno 1898 In interpretatione exaranda ante oculos habuit editor illae clarorum virorum Reanudet et Pierre de Nolhac. Index bibliographicus, conversionum aliorumque operum de Erasmo libellum complent.

LEJEUNE, ALBERT. — *Recherches sur la Catoptrique Grecque d'après les sources antiques et médiévales. Bruxelles, Palais des Académies, rue Ducale 1, 1957.*

Liber hic et ad scientiam et ad historiam pertinet, quod ex ipsa inscriptione facile eruere potes. Lucubratio est, tomus LII, fasc. 2, recentium editionum Academiae Regalis apud Belgas. Inde a diebus magni philosophi Aristotelis, scientia optica geometrica tanquam alia disciplina, peritorum iudicio, mathematica applicata apparet. In hujus operis introductione breviter historia antiqua apud Graecos a claro scriptore perstringitur. In tres partes, quae item in capita distribuuntur, argumentum libri dispertitur.

De optica ibi Ptolemaeta, de legibus reflexionis Ptolemaeis, de theoria imaginum specularium, de catoptrica pseudo Euclidis, de theoria speculorum ante Ptolemaeum, de mensura angulorum incidentiae et refractionis, de refractione in catoptrica Archimedis..., ceteris, magna ingenii vi disseritur, antiqua historia duce et historia aevi medii. Figurae geometricae hinc inde toto operis cursu adhibentur ad rei faciliorem explanationem. Index bibliographicus atque auctorum ditissimus, quo aptius scriptoris propositum in opere conficiendo completur. Liber scientiarum mathematicarum cultoribus valde commendandus.

PHILOPONUS, C. M. F.

MARMORALE, ENZO V. — *Persio. 2.ª edizione rifatta, «La Nuova Italia» Editrice, Firenze, 1956.*

Ex clarissimi hujus operis sententia scriptoris, Persius unus est de sincerioribus litterarum Latinarum poetis, eidemque investigando multam curam, sollertiam, ingenium

tempusque dicatum voluit auctor. Altera haec operis editio, quattuordecim post annos a priore, cuius quidem formam tenoremque, non nullis autem in melius redditus, fere consequitur. Ex eo vero tempore parum, in philologica provincia, de poeta Persio, si excipias studia vel lucubrationes a V. Ciaffi, W. H. Friedrich, J. W. Spaeth, L. Herrmann, E. Faria exarata, evulgatum est.

Sex in capita (pp. 9-105) totum volumen disperitur, cui duplex longe amplissima appendix annectitur: altera de bibliographicis quaestionibus (pp. 107-173), de opere vero altera (pp. 175-344). Praet erudita de libri hujus scopo atque proposita Introductio (pp. 3-8) atque opus indice nominum rerumque potissimarum completur (pp. 345-353). Liber hic a nobilissimo Professore E. V. Marmorale de Persio poeta exaratus, in posterum, ni multum fallor, ex optimis de re, atque ideo necessarius in bibliothecis, habendus cultoribus litterarum humanorum erit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

VALGIGLIO ERNESTO. — *Silla e la crisi repubblicana*. La Nuova Italia. Firenze, 1957.

Volumen hoc, sexagesimum numero, in nobili illa «Biblioteca di Cultura», de Latinis litteris adeo nostris diebus apud Italos bene merita. Scriptoris autem hujus libri mens ea nempe est, ut politicam L. Sullae rem exagitet, leges latas ante oculos habens, atque ejusdem causas historicas et vim potissimam inquirens. Discrimen vero constitutionis Romanae, cuius quidem praecipuum momentum est opus Sullanum, attento animo considerat.

En tibi operis clarit vtri E. Valgiglio conspectum: «I. *Competizioni politiche e lotte di partiti alla vigilia della 1.ª guerra mitridatica* (88 a. C.) (pp. 3-25); II. *Silla «Hostis rei publicae»* (88-82 a. C.) (pp. 27-51); III. *La ricostruzione aristocratica: Dittatura e legislazione di Silla* (82-79 a. C.) (pp. 53-154); IV. «*Sulla felix*» (fine dell' 82 a. C.) (pp. 155-19); V. *L'abdicazione di Silla* (inizio del 79 a. C.) (pp. 199-208); VI. *Collocazione storico-letteraria dell'opera sillana* (pp. 209-223); VII. *Conclusioni* (pp. 225-233)».

Notitiae dentque non nullae in appendice

(pp. 235-239) adjunguntur, de praecipuis operis Sullani fontibus, nempe de biographia Plutarchi et de Bello Civili et Bello Mitridatico Appiani Index vero nominum (pp. 241-251) opus totum apte complet, quod sapientes magis procul dubio aestimabunt.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

VILLEY, MICHEL. — *Le Droit Romain*. Presses Universitaires de France, 108, Boulevard Saint-Germain, Paris, 1957.

Liber haud magnae quidem molis, sed intimi tamen ponderis et utilissimus alumnis scientiae juridicae. In duplicem partem dividitur. In prima commode explicatur a Professore M. Villey qua ratione jus Romanum constitutum sit. I. De processu actionum legis et de primo usu judiciali (pp. 10-123); II. De formulari processu et de progressu usus judicialis (pp. 23-36); III. De ortu scientiae juris (pp. 37-51).

Altera autem in parte disseritur de non nullis institutis juris Romani. I. De theoria personae (pp. 52-61); II. De capacitae juridica (pp. 62-69); III. De rerum theoria (pp. 70-78); IV. De juribus realibus (pp. 79-86); V. De possessionis theoria (pp. 87-95); VI. De obligationis fontibus (pp. 96-108); VII. De theoria generali contractuum (pp. 109-115). In proemio (pp. 5-9) atque in fine libri (pp. 116-124) jus Romanum cum jure nostro recenti apte comparat praeclarus auctor.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

MANZO, GIUSEPPE. — *Dizionario della sintassi latina*. Angelo Signorelli Editore. Roma, 1956.

Altera hujus operis editio eaque recognita, 429 pagellas complectitur, quae alumnis potissimum Latinitatis erit utilissima. Ex ipsa inscriptione libri de dictionario syntaxeos Latinae agitur, a praeclaro professore Manzo apte exarato.

Litterarum ordine verba seu vocabula magis communia in usu Latinarum litterarum colliguntur, quae notam aliquam singularem habent in syntaxi; atque exemplorum classiorum ope facile explicantur loci syntactici in locutione Latina. In Italiae Scholis et Lycets

haud novum adhiberi hujusmodi dictionaria ad alumnorum usum, quae apud nostrates desiderantur.

Vocabula hoc in opere scite seliguntur, optimisque illustrantur classicorum scriptorum exemplis, quod aptissimum est in institutione Latina discipulorum. Opus igitur in id praesertim tendit, ut facilius reddat implicitum studium syntaxeos Latinae. Praecipua recoluntur verba, nomina, pronomina, adjectiva, praepositiones et conjunctiones: omnia vero litterarum ordine digesta atque sedulo aptata.

Maxima huic dictionario inest facilitas ad omnia quae referuntur ad syntaxim Latinorum scriptorum. Exempla sunt optimorum scriptorum praesertim vero Ciceronis atque Caesaris. Simplex nitidusque est professor Manzo in structura Latinae locutionis exponenda. Ejusdem autem liber haud magnae molis omniumque alumnorum Latinitatis crumenis sane commodus. Maximopere hujusmodi dictionarium ad alumnos Hispanos, qui Latinum sermonem colunt, in votis nobis est.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

MAFFII, MAFFIO. — *Cicerone e il suo drama politico*. Aldo Martello Editore. Milano, 1957.

Totius Ciceroniana vitae cursus ab hodierno scriptore, hodierna formarum ratione adhibita in hoc libro describitur. Clarus auctor, litterarum humaniorum et historicae artis peritus atque cultor, opus quidem insigne hoc volumine effecit. Nihil ibi omnino desideratur: typographica ars quam optima ab initio libri; scribendi ratio perfacilis: plus quinque lustris clarus vir M. Maffii foliis periodicis conscribendis operam sedulam dederat. Tabulae pictae ad classicam antiquitatem pertinentes copiosae et pulcherrimae.

Quicumque in posterum de re et scire et dicere cupiat, ad hunc quasi fontem adeat necesse est. Antiquitatem quam optime scriptor novit, eidemque velut spiritum rerum aperuit romanarum, quem per totum libri tractum minime latitantem perspicies. Hoc opus quasi uno perlegitur tenore, innumerisque historiae monumentis aptissime locupletatur.

Liber 549 pagellis constat; eidem 18 sunt tabulae pictae absoluta typographiae arte ex-

ratae. Praefatio brevis at erudita (pp. XV-XIX). In singula capita notulae, scitae et copiosae (pp. 515-536). Tabula eventorum «synchronica», critica hodierna arte confecta atque rite aptata (pp. 539-541). Aldo Martello Editori, Mediolanensi, ex animo ob perfectam libri confectionem, non gratulari non possumus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

H. D. F. KITTO. — *Die Griechen, von der Wirklichkeit eines geschichtlichen Vorbilds*. Ernst Klett Verlag. Stuttgart, 1957. 382 Seiten. Leinen 19, 50 DM.

Hoc volumen in Germanicam linguam translatum est a praeclaro Professore Hartmut von Hentig, qui id maximo elaboravit ingenio ac sedulitate. Primitivo operi. Anglica lingua haec est inscriptio «The Greeks», apud editorem Penguin Books, London.

H. D. F. Kitto Doctor est Philologiae classicae in Universitate Bristol, vir maximae eruditionis, humaniorum autem litterarum peritus, qui opera de multis studiorum questionibus in vulgus emisit. Hoc vero opus omnium quidem patet animis qui de re Graecanica in pristina historia curam et culturam habere intendunt. Calamo penitus facili clarus scriptor in re agenda procedit, ut liber placido animo tibi, ni multum fallor, sit.

De opere haec clarus vir Raymond Mortimer in «The Sunday Times», London: «Die beste Einfuehrung in das alte Griechenland, die ich je gelesen habe». Ea autem ratione ac via scriptor Heinrich D. F. Kitto rem totam evolvit: Praefatio (pp. 11-17). De origine populi Graeci (pp. 19-43). De geographia hujus populi (pp. 44-66). De Homero (pp. 67-104). De re politica (pp. 105-126). Classica Graecia pristinis temporibus (pp. 127-168). Classica Graecia quinto saeculo (pp. 169-209). De Graecorum bellis (210-296). Mythus et Religio (pp. 297-310). Vita et conversatio apud Graecos (pp. 311-382).

Operis hujus Germanus translator, praeclarus vir, H. von Hentig, non nulla initio libri contexit verba (pp. 7-10) de ratione qua librum Germanice reddidit, deque totius voluminis conspectu. Certo certius laudanda opera librorum Editoris ERNST KLETT, Stuttgart, quae magnam hanc lucubrationem in Germanicam linguam convertendam curavit. Utinam et in alias linguas opus convertatur!

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum


Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. IV — (FASC. I) — N. 13

M. MARTIO

A. MCMLVIII

- Quid legis? — Librum.
- Ubi scribis? — In pugilaribus.
- Quo scribis? — Stilo.
- Ubi iterum scribis — In charta.
- Quo scribis? — Calamo.
- Quo ungis calamum?
- Atramento.



## AULUS INSTRUMENTA SCHOLASTICA PARAT

Aulus domi capsam scholasticam habet, in qua volumina apte custodit. Capsa operculo coopertur et, ut commode asportari aut gestari possit, corrigia circumdatur. Volumina in umbilico compli-  
cantur seu involvuntur; index vero cujusque libri membranulā ex volumine pendenti significatur.

Volumen foliis constat glūtine copulatis, in quorum intima parte scribitur.

Indices minio seu atramento rubri coloris — unde rubrica est appellata — inscribuntur.

Quae emendari oportet, spongia delentur.

Papyri seu chartae folia a librariis in foro veneunt: quae folia copulantur et codicem seu librum efficiunt.

Pro papyris nonnumquam pergamenae adhibentur ex pellibus bestiarum praeparatae.

Praeter capsam scholasticam et volumina, Aulus habet pugillares, seu tabellas ligneas cera obductas, in quibus scribit; quae, si binae copulantur, diptycha appellantur, si ternae, triptycha, et stilo seu graphio inciduntur.

Anulo quodam conjunguntur ut commode volvuntur; saepe etiam litterae, in primis secretae, signo quodam obsignantur.

In mensa Aulus bina habet atramentaria, quae atramentum nigri et rubri coloris continent; in his calamos (aut avium pennas) ad scribendum inungit; calami in theca calamaria asservantur aut in fascem colliguntur.

His omnibus paratis Aulus epistulas et scriptiunculas, a magistro praescriptas, exarat.

## DE ASINO BONO

Vagus asinum habebat nigrum, qui calcitrabat omnes qui eum temere adibant.

Quodam die vagus ille bonitate asini, ut solebat, confisus imprudentius ad illum accessit, et calcibus ictus praemium imprudentiae recepit; quo claudus altero pede factus est.

Vagus autem ultus est, asinumque fustibus verberavit quoad defessus est. Sed ne verberibus quidem contentus, statuit eum proximis nundinis quolibet pretio vendere.

Asinus claudus, caecus, idemque macie confectus erat, ut dominus.

Callidus vagus ita asinum ducebat ut simularet ejus claudicationem, pictisque oculis etiam caecitatem.

Statim ut forum intravit, emptor ad eum accessit. Cui vagus obviam venit eumque interrogavit num vellet emere asinum.

Dum emptor asinum inspicit, vagus asini virtutes ad caelum extollebat.

Emptor igitur a vago deceptus petiit ut pretium constitueret; vagus vero pretium

*Verba docent, exempla trahunt.  
Honores saepe mutant mores.  
Fortiter in re, suaviter in modo.  
Leve fit quod bene fertur onus.  
Non in omnes omnia conveniunt.  
Fraus in auctorem recidit.  
Fide, sed cui fidas, videt*

statuit maximum, quod, ut erat deceptus, optimum emptori visum est.

Itaque vagus, asini dorsum mulcens «Bone asine, bone asine, dicebat, malus cum sis, te bonum praedicare cogor».

His dictis, os manu permulsit; asinus vero ne desuesceret, quasi maerens, manum ejus momordit.

Quo vagus, asini blanditiis, claudus discessit et mancus.


Barbastri ALOISIUS RODRÍGUEZ

PATER. - Mihi crede, fili, cum verbero te, dolor meus major est: quam tuus.

FILIUS. - Tunc melius fortasse erit ut ego te verberem, tum enim ego vehementiorem dolorem sentiam.

Celsonae

JOSEPHUS COMAS.



— Quidnam poscis?

— Meam pecuniam.

— Respiravi, liberatus sum! Meam te credebam deponere.



## Saltus eculei

	NUS	EST	
	BRE	PI	
TER	CUR	RI	VIS
GLO		TAE	SEM
VI	AE	SUS	

## De Hannibale et Scipione

*Hannibal cum Scipione de clarissimis ducibus agens, Alexandrum post Pyrrhum nominavit, posteaque tertio loco semetipsum.*

— «*Qui me vicisti, quo loco me nominabis?*», quaesivit Scipio subridens.

Tunc Hannibal: «*Primo*». EMM. AYALA

## Alexander et calliditas Indorum

Indi admirationem Alexandri victoris magnopere excitaverunt. Captivos fecit decem Cynosophistas, qui Macedonibus obstiterant; cum callidi in respondendo judicarentur, captivos eis proposuit quaestiones et mortem minatus est illi qui male responderet.

Ex eis senior iudicium ferre debebat.

Primum interrogavit utrum esset major numerus vivorum an mortuorum. Respondit: «*vivorum, nam mortui non sunt*».

Alter, interrogationi: «*Quod animal esset sagacissimum*», respondit: «*Ignotum homini*».

Tertium interrogavit utrum dies an nox prior fuisset, qui respondit: «*Dies antecedit nocti uno die*».

Cum rex miratus esset, iterum dixit: «*Interrogationibus captiosis etiam captiose respondendum est*», et interrogavit ceteros. Deinde iudicem rogavit sententiam, qui dixit unum incultius respondisse, et cum Alexander primum, qui respondisset, interficere vellet, hic dixit: «*Hoc facere non potes, aliter verbum tuum non adimpleris*».

R. CASTILLO

## Solutiones

(Cfr. PALAESTRA LATINA, 1957, fasc. IV, p. 251 et 252).

## AD SALTUM EQUI

«*Superare sibi, maximum imperium est*».


AENIGMA VERBORUM. — *In transverso*: a) Ligo. Sedo. b) En. Remeo. Ob. c) V. Macella. E. d) Ari. C. U. Dux. e) Alae. Olor. f) Tv. Rv. g) Atus. Mine. h) Cen. U. I. Oma. i) O. Orbator. D. j) Ea. Eicis. Tu. k) Obeo. Ales.

*Ad perpendicularum*: 1) Leva. Coeo. 2) In. Ratae. Ab. 3) G. Milvino. E. 4) Ora A. U. Reo. 5) Ecce. Subi. 6) Me. Ac. 7) Eluo. Miti. 8) Sol. L. Osa. 9) E. Adornor. L. 10) Do. Urvem. Te. 11) Obex. Adus.

(Cfr. P. LATINA, p. 244):

## ABACUS VENEFICUS:

*Fit sonitus spumante salo. Vergilius.*



DNA. — *Nonne potionum inebriantium venditionem prohibendam arbitraris?*


EBRIUS. — *Ita sane; dono tribuendas ego censeo.*

RAPHAEL PÉREZ

## H O R A T I I E T



1. — Inter Romanos et Albanos bellum coortum erat. Metius, qui Albanos ducebat, cum Tullus, Romanorum rege, in colloquium venit.



2. — «Hoc bellum et Romanis et Albanis magno erit detrimento. Quidni studeamus ut sine multo sanguine de imperio decernatur?».

— «Ego vero haec magnopere probo. Ternos eligamus propugnatores cujusque populi. Populo, qui vicerit, summum imperium esto».



3. — Forte in utroque exercitu erant trigemini fratres. Romani vocabantur Horatii, Albani vero Curiatii. Eos reges hortantur ut pro sua quisque patria strenue dimicent.



4. — Trigemini arma capiunt et feroces et pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Utriusque exercitus milites, erecti suspensique in minime gratum spectaculum animos intendunt.

# CURIATII

5. — Forti animo bellum commiserunt; increpauerunt arma micantesque fulserunt gladii... Primo certamine duo ex Romanis alius super alium exspirantes corruerunt, vulneratis tribus Albanis.



6. — Deinde tres Curiatii vulnerati integrum Horatium circumsteterunt. Sed is repente fugere simulavit. Curiatii celeriter eum insequuntur et, ex vulneribus acceptis, aliquantulum inter se separati sunt.



7. — Tum Horatius in eum, quem proxime a se abesse videt, magno impetu redit eumque interficit. Postea alterum petit, quem, prius quam frater consequi posset, gladio conficit.



8. — Tertius, fessus vulnere et cursu, victori obicitur hosti. Nec illud proelium fuit. Romanus exsultans: «duos, inquit, ob mortem fratrum meorum morti dedi, tertium ut Romanus imperet Albano».



## Miscentes utile dulci

Quidam ex Lacedaemoniis cum hominem a diis mendicare animadvertisset (qui Cybëles esset sacerdos) dixit:

—Deos inopiores quam ego non curo.

JOS. M.<sup>a</sup> CAMARERO

Cum Cyrus Croessum vicit, quidam Persa qui Croessum ignorabat, necare voluit; sed filius, usque in hunc diem mutus, cum Persam in patrem irruere vidisset, timore et dolore constrictus, expedita lingua dixit: «Noli occidere Croessum».

Haec prima fuit vox quam emisit et abhinc per totam vitam loquelam non amisit.

EMM. AYALA

## Verborum triangulum

	1	2	3	4	5	6	7	8	9
1									
2									
3									
4									
5									
6									
7									
8									
9									

- |                            |                            |
|----------------------------|----------------------------|
| 1) Cogitatio               | 6) Vetula                  |
| 2) Qui habet unam manum    | 7) Resina Panchaica        |
| 3) Exiguus                 | 8) Pronomen demonstrativum |
| 4) Profundus (deminutivus) | 9) Interjectio             |
| 5) Filius                  |                            |

Celsoe

RAIMUNDUS CARALT.

## EPISTULAE DANTUR INTER ALUMNOS

Joannes Lupus Delmas Carolo Latorre s. d.

Accepi tuas litteras mihi gratissimas, et gratias ago tibi maximas.

In his litteris narrabo vitam meam, Lutetiae.

Primum, prope flumen Sequanam habito, scholam medicinae adeo ubi pater meus professor laborat. Tectum meum est in summa schola et de fenestra cubiculi mei video totam Lutetiam.

Sum nunc in magna schola quam secundam appellamus. Collegium nostrum vocatur «Collège de Clermont» et nunc vocatur Collegium Ludovici Magni XIV (Gallica lingua: Lycée Louis-le-grand). Non operae pre-

tium est te memorare originem Lutetiae, urbis Parisiorum, quam certo legisti in Bello Gallico. Cotidie, in Collegium dum pergo, ante antiquas thermas Romanas transeo. Via Collegii Ludovici Magni XIV est ipsa via Romana quae ducit Genabum (Orléans), urbem nobilissimam. Haud procul a Collegio meo est alterum ubi fuit antiquum theatrum.

Proximis feriis, ibo una cum fratribus meis in Austriam. Narrabo tibi hoc in proximis litteris. Vale!

Scrib. a. d. XIV Kal. Jan. Lutetiae.

Tempora mutantur, nos et mutamur in illis.  
 Sis felicior Augusto, melior Trajano!  
 Nil sine magno labore vita dedit mortalibus.  
 (HOR.)

*Omnibus Barbastris Postulantibus eorumque Praefecto et Magistris salutem et gratiam in Domino.*

Optimi Fratres: Durissimis tentaminibus superatis, denuo festa Natalis Domini adsunt. Quamquam minus concinno quo vos Latino sermone utor, tamen has vobis litteras libentissime mittere ausus sum; ut haec festa vobis ex animo gratularer et in proximum annum laetissima ominarer.

Nos his feriis ludis et colloquiis et dentibus indulgemus; scaenicas fabulas, ut mos erat, non damus.

Sumus sexaginta et quatuor alumni, ex quibus viginti et quatuor quinti cursus, viginti et duo quarti, duodeviginti denique tertii cursus sunt. Non quidem tam multi quam vos, sed utinam tam boni.

Qui quinto Latinitatis cursui adnumeramur, vidimus Ciceronis «Pro Archia» orationem et Vergilii Aeneidos librum secundum, cujus vocabula a vobis composita et missa ad unguem discere, jussu professoris, debemus. Consequentibus mensibus Horatio et stilisticis Patris Basabe exercitiis vacandum.

Ante diem XVI kal. januarias ludum academicum sollemnem celebravimus, in quo unus ex alumni de morte Laocoontis a Vergilio descripta analysim instituit, alii Gallico sermone facete dixerunt, alii denique aenigma scientifici «crucigrammatis» in abaco prius delineati solverunt.

Iterum atque iterum valete omnes in Domino et Matre. Scribite ut de vobis liceat scire.

Vestri studiosissimus XAVERIUS URTASUN  
In urbe Castro-Urdiales

## CALLIDUS PSITTACUS

Quidam homo eruditus psittacum eumque linguam Persarum docuit. Cum illum alloquebatur, passer respondebat: —Nullum dubium est.

Quodam die homo psittacum ad nundinas attulit et centum drachmis venditabat.

Mongolius quidam venit et ex passere quaesivit: —Nonne centum drachmis es?

—Nullum, inquit, dubium est? —Mongolius laetissimus illum emit et domum adduxit, sed quotiens aliquid ab eo quaerebat, semper

idem responsum ei dabatur: —Nullum dubium est.

Tunc nimiae credulitatis eum pudit et emptoris paenituit, pertaesusque exclamavit: —Vere stultissime feci cum istum psittacum emi.

Et psittacus statim respondit: —Nullum dubium est.

*Barbastris*

## Aenigmata

1) Quanam in re convenit pastor cum vento?

2) *Latrat ut canis, loquitur ut homo, rudit ut asinus atque, mirandum, caret ore.*

3) Quidnam simile habent tentamina cum horto?

*Quae nocent, docent.  
Suae quisque fortunae  
faber est.  
Vivitur parvo bene.  
Parere legibus necesse est.*

4) *Dtu carnis ple-  
num os habeo, noctuque  
vacuum.*

5) *Latrat in monte,  
at domi tacet.*


R. CARALT.



JOSEPHUS GREGORIO

## AENIGMA VERBORUM

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



In transversum: a) Mari. b) Quaedam avena. c) Crepusculi. d) Infantium cibus. Coniunctio. Pronomem personale (nom. pl.). e) Dominus. Lepores. f) Metue. Observo (versis litteris). g) Frequento (versis litteris). Ecce. Fructum cepti (versis litteris). h) Servus qui colligit reliquias cibi. i) Morti. j) Cujusdam vulturis.

Ad perpendicularum: 1) Neco. 2) Sponsa. 3) Acuo. 4) Existat. Pronomem personale (sing. acus.). Egredere. 5) Instrumentum sartoris. Canalis ad rigandos agros. 6) Limi. Fila ducti. 7) Ventito (versis litteris). Inacht filia, quam Iuppiter in vaccam mutavit. Pronomen relativum (dat. sing.). 8) Notati. 9) Lepida. 10) Unicas (versis litteris).

Celsoae ANTONIUS M. ANDRÉS, C. M. F.

## BIROTA A SINA DESCRIPTA

— Animal mirum, quod auribus moderamur, quod, ut ambulet, assequimur dum vehementer ejus ventrem agitamus. R. BOLADERES



PUER, INTELLEGIS QUAE LEGIS?

## OPTIMUM REMEDIUM

Trichophilus. — Calvesco, domine. Potesne conficere remedium ut capillos retineam?

Pharmacopola. — Pulcherrimam quidem capsam tibi dabo.

RAIMUNDUS CARALT

Horatius et Vergilius dicuntur epulis Augusti accubuisse; alter canali lacrymali, alter vero gravi respirandi fatigatione afficiebatur.

Augustus, rem irridens, dixit: «Ego medius sum inter suspiria et lacrimas».

## IN SCHOLA


Magister. — Videamus; ego dico: «Petrus placentas emit». Ubi est subjectum?

Discipulus. — In taberna pistoria.

JOSEPHUS ARMENGOL

## PECTEN

a) b) c) d) e)



- a) Ferre  
b) Patuli  
c) Existere  
d) Simili  
e) Obscuro

SCRIBITE LATINE. — Lucas Martínez Veiga et Antonius Ubeda Menchero, linguae Latinae alumni (4<sup>ae</sup> et 5<sup>ae</sup> classis), in Seminario Pontificio Comillensi, ad alios alumnos per litteras, lingua Latina exaratas, scribere volunt. — Diligentior epistolam mittat.

# BIBLIOGRAPHIA

BASSOLS DE CLIMENT, MARIANO. — *Sintaxis Latina*, vol. I, II. Enciclopedia clásica, n.º 3-4. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid, 1956.

Qui de lingua Latina loquuntur saepe eam cum linguis Indo-Europaeis, quae dicuntur, comparant. Quod sine dubio bonum est et utile; immo et consentaneum est ut hi qui lingua «non Romanica» loquuntur, in hac comparatione nihil amplius progressi consistant. Interdum tamen auctores id oblitū esse videntur sermones 'Romanicos' e lingua Latina esse derivatos, ideoque complura linguae Latinae verba et locutiones quae ex linguis Indo-Europaeis explicari nequeunt, explicari et evolvi et compleri Romanicis. Qua re necessarium est, ubi de syntaxi Latina agatur, ante oculos semper sibi ponere linguas ab ea deductas. MARIANUS BASSOLS DE CLIMENT, in Universitate Barcinonensi egregius doctor, librum scribere voluit ubi linguae Latinae syntaxis aestimaretur et perpenderetur, ex omni parte, et in se ipsa et quod ad linguas primigenias attinet et ab ea derivatas, Hispanicam praesertim. At vero cum hanc infinitam quandam et immensam materiam duobus voluminibus 400 admodum paginarum contineri omnino non posset, Auctor potius quam omnia et singula totis verbis enotare, prospectus amplissimos in res propositas praebere maluit. Mirandum ergo non est quod ad alias linguas Romanicas praeter Hispanicam aperte non revocat. At ubique lectores vocat ad alia aliorum auctorum opera completissima et ad suam ipsius «*Sintaxis histórica*» quae aut nunquam aut si unquam nunc in votis omnium est ut tandem aliquando absolvatur et evulgetur. In his voluminibus res agitantur maxima perspicuitate, soliditate, elegantia,

suntque amplissimo iudicio perpensae. Quibus laudibus adde quod Hispanico sermone scriptae sunt et ad Hispanorum mentem cogitatae ac digestae. Itaque alumni magnam partem liberabuntur de libris saepe externis linguis exaratis et moleste consulendis, quorum loquendi genus et cogitandi maxime est a nostro Hispanorum alienissimum.

Cum hanc Syntaxim iterum iterumque editum iri speremus, mihi opportunum visum est quaedam significare si forte aliquantulum ad eam meliorem reddendam conferre possim. Me juvaret cum scriptorum auctoritas commemoratur, non modo scriptorum nomina, sed etiam operum locos unde exempla desumpta sunt videre, quo facilius liceat eadem auctorum opera adire et recognoscere. Optimum etiam alumnisque utile arbitror futurum allatos scriptorum locos vel integre vel maximam saltem partem convertere in Hispanicum, quo praeceptorum legis exemplorumque vis ac sensus penitus perspiciatur. — Facilius forsitan liber in manibus versaretur si uno volumine, non duobus, materia cogeretur, etsi volumen grandius esset. Quod si opus in posterum duplici contineretur volumine, non frustra esset utrumque proprio rerum indice ornari. — Mihi interdum quaerenti quae loquendi oratio optima et purissimae Latinitatis, quae vero non optima sed cadentis esset, id non raro contigisse profiteor ut anxius manerem et anceps, eo praesertim quod non semper res ita secretae sejunctaeque apparerent ut simplici intuitu conspicerentur. Quas tamen distinguere et in hoc libro, et in re, perdifficile est.

Mognopere et. Auctori gratulamur de hoc opere, maxime omnibus commendandum.

JACOBUS SIDERA, C. M. F

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR

# Textos Palaestra

venales prostant apud officinam librariam

GRAFICAS CLARET

Lauria, 5

BARCINONE

## TEXTUS NOTULIS INSTRUCTI

JIMÉNEZ, <i>Latín</i> , Primer Curso (2 edit.) venit . . . . .	ptis.	12
• <i>Latín</i> , Segundo Curso (2 edit.) . . . . .	•	20
• <i>Latín</i> , Tercero y Cuarto Curso . . . . .	•	30
• <i>Historiae Sacrae compendium</i> , (4. edit.) . . . . .	•	7
• <i>Hepitome Historiae Graecae</i> , (5 edit.) . . . . .	•	8
SARMIENTO, <i>Phaedri fabulae</i> , (edit. paratur)		
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> . . . . .	ptis.	5
MIR, <i>Ciceronis, epistulae selectae</i> . . . . .	•	4
JIMÉNEZ, <i>Caesaris de bello civili</i> , (2 edit.) . . . . .	•	6
• <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> , (2 edit.) . . . . .	•	10
• <i>Ciceronis in Catilnam</i> . (2 edit.) . . . . .	•	7
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> . . . . .	•	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> , (lib. II, 2 edit.) . . . . .	•	8
MESA, <i>Sallusti de Catilinae Conjurazione</i> , (2 edit.) . . . . .	•	8
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i> . . . . .	•	30
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> , (2 edit.) . . . . .	•	5
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> . . . . .	•	4
MESA, <i>Titi Livi Historiae selectae</i> . . . . .	•	8
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> . . . . .	•	6
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> , (lib. I) . . . . .	•	10
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> . . . . .	•	12

## TEXTUS TANTUM

Ciceronis Epistulae	ptis. 2	Sallusti de Catilinae Conjurazione	ptis. 3
Ciceronis in Catilnam	• 2	Titi Livi Historiae	• 3
Ciceronis pro Archia	• 2	Vergili Aeneidos (lib. II)	• 3
C. Nepotis Vitae	• 2	Horatii Carmina	• 3

MIR, *Nova et Vetera*, (aptissima ratio qua hodie cum amicis latine loquaris) 26

PALAESTRA LATINA, trimestres litterarum Latinarum commentarii:

in Hispania, 50 ptis.; in Gallia, 700 fr.; in Germania, 7 DM.; in Italia, 1000 lib.;  
in Foederatis Americae Civitatibus, 2 doll.

PALAESTRA ADULESCENTIUM, separatim pro alumnis editur:

in Hispania, 15 ptis.; extra Hispaniam, 20.